

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08162879 8





(Germany)

EXPLICATIO SPINOZISMI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

RITE ADIPISCENDIS

D. XV. M. SEPTEMBR. A. MDCCCXXVIII.

HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

LUDOVICUS BOUMANN

Ludwig

BEROLINENSIS.


OPPONENTIBUS:

H. ROETSCHER, DR. PHIL.
C. MICHELET, DR. PHIL.
E. ILGEN, DR. PHIL.

BEROLINI

TYPIS FEISTERIANIS ET EISERSDORFFIANIS.

MDCCCXXVIII.


ASTOR
JUN
4
1894
NEW

Index.

A. Introductio.

Fortuna Spinozismi 1
Cohaerentia Spinozismi cum prioribus philosophiis 4

B. Ratio generalis Spinozismi 19

C. Explicatio Spinozismi.

I. Pars, de Deo.

Essentia substantiae 26
Existentia substantiae 28
Causa sui 29
Affirmatio substantiae 31
Accidentia 35
Una substantiae vis 39
Infinitio substantiae 47
Individua substantiae natura 58
Definitio Dei 65

II. Pars, de Mente.

Cogitatio et extensio 73

III. Pars, de affectibus 91

IV. Pars, de servitute humana 94

V. Pars, de libertate humana 102



Introductio.

Inter omnes recentioris philosophiae doctrinas nulla propemodum est, quae tantas vituperii et laudis vicissitudines perpessa tam sero justum omnino invenerit judicium, quam profunda Spinozae sententia ratioque rerum explicandarum. Etenim quum initio mercatorum Batavorum integritas honestatem, regulam modumque morum colendorum, liberum arbitrium atque Deum ipsum contra Spinozam Judaeum defendisset; theologorum in ipsum furor atheismi actionem eximia obstinatione peregit. Quae accusatio, quamvis justam sustinuerit causam, fundamentum odiosae doctrinae intactum reliquit, quia ad funditus id evertendum imaginatio propositioque veritatis auctoritate acceptae non sufficiebat; sed cogitationis omni vinculo externo absolutae infinita efficientia requirebatur.

Leibnitius igitur primus *), — quod voluerat theologia, — necessaria ratione perfecit, ut principium Spinozae principio contrario refelleret. Atque contrarium hoc prorsus principium tanta efficacitate Spinózismum repulsit, ut is e cogitatione hominum dilapsus esse videretur. Quamvis ideo Christianus Wolfius **) cogitationes, e ratione deductas, de ethica Spinozae multas conscripsisset, et Baylius criticus sensum communem ei opponendo recordationem quandam Spinozae excitasset; mox tamen silentium est secutum et ignorantia fere perfecta illius doctrinae. Haec ergo prioris philosophiae neglectio effecit, ut quum Lessingium Spinozistam secretum fuisse, fama ferret; ob infamiam amico illatam iratus Moses Mendelssohnius de Spinoza et Lessingio ad Jacobium epistolam componeret, scientiae suae malum monumentum.

Sed ea ipsa Spinozismi reprehensio ad cognitionem ejus reducendam valuit maxime. Licet Jacobius ***) opinionem fidemque

*) Monadologia.

**) Ethica Spinozae refut. a Chr. Wolfio.

***) Jacobii epist. de Spinoza.

suam rationi generali et peculiari Spinocisticae rationis formae ac principio anteponeret; tamen in Spinozismo laudando altera ex parte ita modum excessit; ut eum solum veram omnibusque numeris absolutam rationem exhibere, terminos rationis eo circumscriptos contineri, nec facultatem rationi ullam progrediendi relictam esse affirmaret. — Accessit humanitate sua ductus Herderus *), multis in rebus dissentiens, laudatione autem Spinozae Jacobium adhuc superans, sublimitate virtutis Spinozisticae maxime victus. — Kantii et Fichtii idealismus, rationi finitae innixus, cum Spinozismo, qui conclusionem cogitationis cum eo, quod est, statim initio proponit, convenire minus potuit, quam Herderi et Jacobii opinio tam certe non definita, neque aliam cogitationem excludens. — Sed in Spinozismo melius meliusque intelligendo, in suamque rationem convertendo adultus est Schellingius, qui immotam Spinozae et quietam materiae ac mentis conjunctionem cum Fichticâ ratione per se fixâ et a rebus distinctâ simpliciter composuit, pro summo prin-

*) Herder de Deo.

cipio rationem constituens a sese productam inque se ita revocatam, ut non minus se percipiat in rerum differentias ejectam, quam actionem intelligat suam universae hujus creationis.

Cohaerentia Spinozismi cum prioribus philosophiis.

Haec autem difficultas Spinozismi intelligendi non ex eo potest deduci, quod ex alienâ et contrariâ nobis ratione Asiaticae theologiae, ex illo finitorum omnium in infinitam naturam transitu atque interitu proximam Spinozistica philosophia traxerit originem, et tamquam nova prorsus et inaudita apud Europaeos apparuerit forma, quae cum distincta ipsorum ratione, cum retracto a rebus animo finitorumque a principio separatione, necessitudine nullâ conjungeretur. Ea rationis aeternae explicatio non est, ut externa atque adventitia in eam forma queat inferri. Historia mentis absolutae necessaria est expositio, quae certum habet principium, medium et finem, extrinsecus nihil assumit,

necessario progressu formas suas e formis praecedentibus producit.

Nolumus repetere veterem philosophiam, quae semina Spinozismi quodammodo jam explicata novis Platonicis *) proponit (secundum quos ex una atque simplici et infinita natura cetera omnia emanant, sicut Spinoza ex unâ sua substantia attributa modosque omnes fluere affirmat); — Neque comparationem faciamus inter Spinozismum et christianae religionis doctrinam — de infiniti atque aeterni cum finito et tempore conjunctione, de Dei cum mundo reconciliatione, de servitute hominis a Deo separati, de libertate a divinis viribus solis expectandâ. — Scholasticam philosophiam commemorasse sufficiat, quae tota in eo fuit, ut generalium cum singulis cohaerentiam ostenderet, ut e natura, e notione, ex idea Dei esse eum demonstraret, ut eandem idearum atque rerum manifestam faceret rationem. In his initia Spinozismi non cognosci non possunt; nam tota ejus vis in illa est conjunctione, — „essentiae atque existen„tiae, cogitationis atque extensionis," mentis

*) Plotin. Ennead. VI. l. 9. c. 2. VII. l. 9. c. 3.

infinitae cum eo, quod Esse ipsum appellatur. — Quodsi singulum aliquem e philosophis scholasticis, ad id commonstrandum, citare velimus, Anselmus proxime apparet, qui, cum naturam ejus, quod est, si seorsim spectatur, cum cogitatione necessario modo componere non posset, neque e cogitatione solâ atque in se consideratâ ad id, quod est, transitum immanentem inveniret, in tertio quodam, in propositâ ideâ absolute perfecti conclusionem hanc ponere ac conficere conatus est. Hanc autem ipsam per se cohaerentiam divinae essentiae cum existentia Spinozam in fronte operis sui collocasse, notissimum est. Itaque etiam verborum invenitur similitudo; in monologio suo (cap. 10 — 13) ita Anselmum disserentem videmus: „Qua propter ea, quae „per primam *substantiam* creata sunt, omnino „non sunt aliquid, quod non sunt per ipsam; „quae vero per ipsam fiunt, penitus non es„sent, si non essent aliquid in ratione primae „naturae. Quae igitur facta sunt cuncta, non „nisi primâ *substantiâ* sustinente vigent; quem„admodum enim omnia quae sunt, per unum „aliquid sunt, ita similiter, quaecunque vigent, „per unum aliquid vigent, quod solum vi-

„geat per se." Et (cap. 3.): „Est aliquid „unum, quod sive *essentia*, sive *substantia* „dicatur, optimum et maximum est atque „summum. Quia autem, quod est *ex* aliquo, „est etiam *per* id ipsum, et quod est per „aliquid, est etiam *ex* ipso, consequitur, ut „quemadmodum cuncta, quae sunt, sint *per* „eandem summam naturam, ita etiam omnia, „quae sunt, sint *ex* eâdem summâ naturâ; „ipsa autem haec summa natura sit *per* se „ipsam et *ex* se ipsa, alia vero omnia non „sint per se ipsa, sed per illam, nec ex se „ipsis, sed ex illa." (cap. 4.) —

Ex implicita autem et confusa natura scholasticae philosophiae explicatiores formae rationis prodierunt, quae, licet distinctae magis, quam illa, a Spinozismo esse videantur vereque sint; tamen, et hanc potius ipsam ob causam, perfectiora ejus doctrinae initia includunt. Ut vero necessario ad illas transitu procedamus; quae antecesserunt, sunt comprehendendae.

Scholastica igitur philosophia id egit omnino, ut cogitationem cum materia, universalia cum singulis, „essentiam Dei cum existentia," sive ideam Dei cum veritate rerum con-

jungeret. Sed ea conjunctio fuit simplex atque imperfecta neque contraria medio continuit, quod ex his ipsis immanenti ratione fuerit effectum. Etenim neque in generalibus ipsis inque se spectatis singulorum ipsorum vis ac natura; neque in singulis generalis contra potentia intelligebatur; sed tertium quiddam, extrinsecus acceptum, — species ab universalibus aeque atque a singulis aliena, — nodum faciebat. Sic e cogitatione ipsâ materiae principium non efficiebatur, nec materia ad cogitationem sublata se ipsa solvebat. Neque Dei ipsius idea absoluta esse se *propriis* viribus demonstrabat; sed antecepta sine judicio opinio propositioque perfectissimae naturae conclusionem hanc suscipiebat. Quamvis igitur elementa omnia mentis vere infinitae adsint in hac philosophia; — mentis tamen vinculum et propria explicatio adhuc deest. Itaque divisio illa et dissipatio universalium, ad singula creanda nondum praeparatorum, inanissimarum formarum abundantiam efficit et distinctionum. Conjunctio contra illarum distinctionum et confusio, aeternum ipsum ad perniciem finitorum abducit. Efficitur autem eâ contrariorum confusione, ut

ratio intelligat: se eam esse potentiam, quae contraria haec in se ipsa comprehendat, generalia per species ad singula, infinitum ad finita, ideam absolutam ad differentiam rerum singularum deducat, eumque e principio exitum ad initium reflectat, a finitisque finiendis liberatum infinitum in comprehensionem mentis attollat; sive totam hanc rei aeque ipsius modo contempletur actionem; hoc enim est intelligendum: neque eam rei actionem esse sine efficacitate et comprehensione rationis, neque rationem contra veram esse et perfectam, nisi rei hanc differentiam, plenitudinem actumque contineat in semet ipsâ. Sicut igitur animus religiosus a sepulcro filii divini ad aeternitatem mentis absolutae se revocat atque erigit, eamque recipiendo a morte ad vitam reducit praesentemque intuetur, et, auctoritate alienâ omni rejectâ, sibi auctoritatem et judicium veritatis infinitae attribuit; — ita mens philosophica interitum illum aeterni atque infiniti, dissipationem hanc per universitatem finitorum ita tollit convertitque, ut non solum ratio proposita ac comprehensa e singulis in se redeat ipsam; sed etiam ratio comprehendens ex illo rei congressu reflexâ-

que in initium actione in se ipsam reflectatur. Mens tam generali in se modo reflexa unâ eâdemque actione se a singulis sejungit atque ea manumittit, libertatem iis dando sibi ipsi acquirit, excludendis iis concludendi singula cum suo principio potentiam adipiscitur. Regressu in se illo ad initium singulae naturae et efficientiae progressa ad singula cognata convertitur, eaque generali simul et singulâ actione ad generalia attollit. —

Sic igitur cum antea ratio in universalibus simplicibus formisque inanibus esset versata; empirica exstitit philosophia Baconis, qui initium hoc fecit singulorum observandorum, ut immensitatem eorum limitibus certis circumscriptam divideret, variisque rationis facultatibus distinctas singulorum divisiones assignaret. Cum ergo ratio haec observandi tam paulum in singula ipsa penetrasset; regressus ex iis non nisi simplicem adhuc nec perfectam mentis secum ipsâ conclusionem potuit efficere.

Baconis igitur philosophiam Boehmii secuta est mystica doctrina, quae regressam hanc simpliciter e singulis rationem non nisi interno prorsus modo incertoque distinguit,

formis adhibitis simplicibus neque explicatis, eamque ipsam ob causam e singulorum sensorumque natura repetitis et ad eum finem conversis contortisque. Ratio igitur absoluta conclusione hac „Dei patris, Dei filii, Divini sanctique spiritus,"*) — a Boehmio explicatur, omnisque apud eum expositio est ea, ut e nocte, — ut dicit, — essentiae divinae et valle obscura, quae fiunt, in lumen existant, sicut perfecta fineque perpetrato quasi initiata in profundum essentiae divinae resolvantur; — ita ut vere sit nihil, nisi una sacrosancta triumphans, ut dicit, trina potentia distinctioque spiritus infiniti.

Atque eam mentis solitudinem singulisque tollendis definitam singulamque perfectiori modo naturam Cartesius excepit, cujus principium est actio haec mentis a cogitationibus auctoritate acceptis, et a sensis retrahendae, de omnibus, nisi de dubitatione, dubitandi, cogitationem cogitantis solam relinquendi. In Cartesio autem explicatissima omnium Spinozismi principia sunt. Etenim in

---

*) Aurora c. 3. v. 33.

initio *) jam Cartesianae philosophiae eam videmus conjunctionem simpliciter derivatum, quae fundamentum facit totius Spinozismi sine argumento accepta. E cognitatione enim esse cogitantem, cogitare ipsum esse ipsum Esse Cartesius demonstrat; quae conjunctio substantiae Spinozisticae continet definitionem. Non autem humanâ e cogitatione esse res singulas docet; ad perfectam Dei rationem in ea re censet esse confugiendum; sicut Spinoza non e suâ cogitatione, sed e substantiâ absolutâ finitas efficit res; neque alia est inter eos differentia, quam ut Cartesius quidem e cogitatione suâ et cogitante, qui est, ad cogitationem infinitam, quam esse e solâ ipsius natura intelligi oportet, — transitum faciat simplicem; cum Spinoza contra e cogitatione infinitâ atque extensione, substantiae attributis, cogitationem peculiarem singulamque et extensionem efficiat certam ac definitam. Sed ea inter ipsos differentia necessario evanescit; cum transitus a finito ad infinitum faciendus fine suo ideo se tollat ipse,

---

*) Cartes. princ. phil. pars I. no. 7. et dissert. de methodo no. 4. p. 20.

quia finita ratio, — a qua cogitatio ad infinitum adscendit, — intacta non relinquitur, sed finem in infinito invenit suum. Ad transitum autem istum faciendum necessario ea procedit, quia, — quamvis viribus suis conjunctionem cum principio proposito et cum rebus singulis nondum explicatam effecerit, — tamen divinatione quadam dirigitur: naturâ suâ eandem cum principio infinito et cum rebus oppositis, neque iis omnino circumscriptam humanam esse rationem. Principium igitur rationis finitae infinitum Cartesius esse persentit, idque mentis principium pariter atque Spinoza substantiam appellat; nam cum initio primo omnia sustulerit, neque quidquam subsistere sit passus, nisi cogitationem, quam vocat finitam, quâ cuncta quae sunt, solâ subsistantur; majore adhuc jure divinam rationem substantiam appellat, quippe in quam substantia illa cogitationis finitae ipsa resolvatur. Et sicut ad hanc necessario pertinet esse; ita substantia infinita necesse est sit; adeo, ut cogitatio ipsa et Esse ipsum sola ac simplicia ejus sint „attributa,“ neque quidquam possit esse, nisi ex „attributis“ his, simpliciter secum ipsis et cum substantia conjunctis,

pendeat modusque sit certus. Haec tamen est differentia observanda, ut, cum Cartesius a cogitatione, tamquam potiori natura, initio facto, cogitatione solâ, — quae quidem maxime sit, — divinam substantiam comprehendendam esse affirmet; Spinoza, substantiam in se jam ipsâ perfectam neque e cogitatione demum derivandam proponendo, quietâ ejus externâque natura statim extensionem comprehendat, quam Cartesius (qui *nihil nisi* existentiam in substantia collocat infinitâ), — ad differentiam corporis ac mentis expellit. Cum igitur Spinoza ad id extremum exeedere non dubitet, ut distinctis contendat verbis: Deum esse rem extensam; — Cartesius Deum, dicit, substantiam esse modo cogitantem, non creatam, neque ex aliâ re ulla pendentem. Manifesta ergo est differentia philosophiae Cartesianae; extensionis a cogitatione distinctio in corpore ac mente ad se invicem relatis retinetur; substantia divina solâ cogitatione definitur. Spinoza differentiam hanc sublatam ponit in ipsâ primâ atque unâ substantiâ, quae modo sub hoc, modo sub illo attributo comprehenditur, neque minus aut magis substantia est cogitans, quam extensa.

— Sed haec ipsa cogitationis cum extensione conjunctio, quam substantiâ Spinoza comprehendit; simplici ratione est etiam apud Cartesium. Nam quia substantiam infinitam eam demonstrat esse potentiam, e qua finitae substantiae pendeant omnes, in his autem differentia exsistit extensionis atque cogitationis; necesse est, etiam in primâ substantiâ, cujus „concursu" ceterae sustinentur, priorem esse distinctionem naturae atque efficientiae, ut distinctae substantiae distincto concursu adjuventur. Atque quominus in primum initium ea divisio sublata recipiatur, impedit nihil; cum etiam apud Cartesium differentia haec modorum ab attributis substantiae indifferens sit ideoque in substantiam inclusa, neque propriâ distinctione removeatur. Dicit enim: „Per modos plane idem „intelligimus, quod alibi per attributa vel „qualitates. Sed cum consideramus substan„tiam ab illis affici, vel variari, vocamus mo„dos; cum generalius spectamus tantum ea „substantiae inesse, vocamus attributa. Ideo„que in Deo non proprie modos aut qualita„tes, sed attributa tantum dicimus esse."

His ergo demonstratur, quam arcta sit

Spinozisticae rationis cum praecedentibus philosophiis conjunctio. Ut enim ea, quae fusius sunt exposita, breviter repetamus, hoc perspicuum est factum: Initium rationis singula observantis et externa ad diversas animi facultates referentis, (ut ea agit apud Baconem), e singulis ordinandis in se ipsum reflexum externo tantum et naturali modo formisque e sensorum natura repetitis se distinguere. Mens tali modo de contrario hoc suo triumphans in solitudinem suam se ipsam differentiamque propriam includit. Atque triumphans haec de singulis finitisque ratio infinita, quae finem facit Boehmianae philosophiae, principium praebet Cartesianismi, cujus omnis in eo est vis, ut cogitatio ipsa, externis omnibus sensisque non in dubium modo vocatis, sed desperatione perfectâ rejectis, de interitu rerum omnium triumphans in simplicem suam se reflectat naturam; in qua tamen differentia propria non magis potest abesse, quam in Boehmii spiritu sancto, distinctionem triplicem involvente. Continet igitur cogitatio Cartesiana Esse ipsum, idque tam implicita ratione, ut Esse cum cogitatione non conclusione verâ et distinctâ comprehen-

hendatur, sed simplici potius naturâ suâ cum cogitatione conveniat unumque faciat totum, — Esse scilicet cogitans, quod ipsum cum simplici illa differentia sit idem atque indifferens, neque quominus ad libitum modo ex hac, modo ex illa sua forma nominetur, distinctione certa impediat. Atque ea cogitationis ipsius cum contrario in quo finem habet, comprehensio causa est certa, cur cogitans illud Cartesianum, quamvis fines inclusionis suae et circumscriptam naturam intelligat, sive potius quia eam intelligit, finientemque infinitum comprehendit, — in infinitum principium se attollat, finesque rebus externis objectos perrumpere conetur. Quo igitur ascendit Cartesius, ut cogitans, quod vocat finitum in infinitum traducat; ab eo descendit Spinoza, ut ex infinito cogitante, quod natura sua Esse ipsum comprehendit, finita omnia, cogitationem humanam resque singulas fluere ostendat. Nihilo tamen minus etiam apud Spinozam, ut apud Cartesium, quae omnia producit, non ipsa est substantia infinita, sed ratio philosophans Spinozae, extra illam posita. Haec attributa substantiae et affectiones sive modos proponit; res e substantia non

producit, sed invenit accipitque extra eam locatas, substantiam aeque relinquit a productione rerum alienam remotamque ac Cartesiana explicatio, quae non nisi in extremis ad substantiam infinitam recurrit, in ceteris res definiendas in se suscipit solam.

Nunc ad Spinozismum ipsum possumus transire.

Ratio generalis Spinozismi.

Principium Spinozisticae rationis, — ut e prioribus jam intelleximus, — est cogitatio infinita cum Esse ipso simpliciter conjuncta; in hanc enim finita cogitantis cum Esse apud Cartesium conjunctio simplici transgressu se convertit. Quod igitur cogitatio infinita in Esse simplex est immersa, neque ab eo in se ipsam revocata ab Esse simul atque a se se distinguit; ex hoc necesse est sequatur: in principio Spinozistico eam distinguendi sese actionem adhuc desiderari, quae vere non est, nisi in mente absolute infinitâ suisque propriis se viribus distinguente. Cum ergo cogitatio se illa Spinozistici principii suâ ipsius efficientiâ secum ipsa eandem nondum reddiderit; a sua vi atque efficacitate, a semet ipsa, a sua comprehensione adhuc est aliena et ad Esse simplex relabitur. Aliena

2*

igitur actione ac modo definitiones et differentiae in principium hoc inferuntur. Adventitia haec ratio mens est finita. Consentaneum huic est principio id, quod apud Spinozam videmus: Primum definitiones substantiae extrinsecus inferri, — tum venire axiomata, quorum cum definitionibus non demonstretur cohaerentia, — deinde propositiones demonstrationesque sequi earum, — postremo scholia et corollaria; eaque omnia tam externo modo conjecta, ut causa cur hunc neque alium teneant ordinem, non explicetur, neque substantia iis ipsa explicari videatur. Haec ipsa definitionem non producit, neque se veram esse demonstrat. Nam quae apud Cartesium productio est et demonstratio substantiae infinitae, finitâ substantiâ tollendâ manifestam se facientis, ea transit in substantiam simpliciter secum ipsa congressam neque actione ullâ diremtam. Statim igitur perfecta atque fixa, neque actu ullo commota, sed data substantia apud Spinozam apparet, et a se ipsa, non a finita ratione initium facit. Ex hac autem finitae rationis in infinitam substantiam inclusione, ex ea substantiae in sese retentione necessario sequitur, — quemadmo-

dum dictum jam est, — neque finitam rationem neque substantiam eâ uti vi et libertate, ut modo necessario distinctionem e principio vere infinitam creationemque rerum possint efficere. Etenim licet finitam rationem, quae per semet ipsam esse videbatur, in suam naturam receperit substantia; tamen simplex haec conjunctio non est ea qua distincte ac perfecte substantia a se, ipsa distinguatur. Neque eo congressu finita ratio absolute se perficit plenamque facit infinito suo principio. Substantia tollit quidem simpliciter rationem finitam; sed ea actio tollendi exstinguitur suo fine, et in quietam transit substantiae secum ipsa conjunctionem, ut certa ac distincta in ea distinctio non sit, ut ratio vere finita sive fere infinita ex ea non existat. — Ratio autem finita aeque simplici modo in substantiam transgreditur, ut, quamquam principio infinito afficiatur, tamen in se non se reflectat, neque a se ipsa se repellendo perfecte se distinguat. Cogitatio igitur philosophans apud Spinozam extra est substantiam, ideo, quod simpliciter est in eam inclusa. Ut ea vere sit in substantia, et substantia perfecte in cogitatione philosophica, ad hoc requiritur,

ut substantia se tollat omnino, ut differentiam, quam tenet necessitate compressam, liberam faciat exponatque, ut comprehensio fiat absolute infinita, ut in mentem absolutam se convertat; id quod una atque singula et definita doctrina nequit conficere, sed totius a Spinoza inde philosophiae est labor ad finem ultimum perducendus. Quem ad finem progressa philosophia et semet ipsam et imperfectiora quae antecedunt principia, perfectius intelligit, quam singulum eorum per se quodque in se retentum neque finem suum suâ efficacitate complectens ipsum se potest comprehendere. Quum igitur substantia se minus ipsa complectatur, quam a mente absolute infinita intelligitur; haec in ea exponenda ducere nos debet. — Atque licet necessitudo ipsa explicationis a Spinoza non demonstretur; agnosci tamen oportet necessarium e principio Spinozistico rerum ortum ac progressum atque etiam e fine ultimo in initium reductionem, quamvis non perfectam. Quod enim ad reditum hunc attinet, non eo sensu potest contendi, substantiam expositione suâ e se ipsâ excedere atque in alienam naturam abire, ut ideo putetur: substantiam omnino

a se relinqui ac degenerare. Etenim quum ea ipsa distinctio, qua alienari a se videatur, aliena a viribus sit ejus; non minus in se ipsa substantia retinetur, eque differentia in se revocatur, quam in differentem naturam abripitur. Quod summum substantia consequitur; infinitus Dei erga se ipsum est amor, quo e humana mente ad se se reflectit. Eth. V. prop. 35. Quae quidem reductio aeque est manca atque egressus, quem e se substantia facit; humanus enim intellectus, e quo ad se substantia divina revertitur, non absoluta est hujus oppositio; sed pars, — ut dicit Spinoza, — divinae cogitationis, ita ut substantia non e contrario se suo, sed ex parte sui ad se ipsam reflectat, sive potius, quia perfecte egressa e se non sit, vero regressu non indigeat. Non assequitur Spinozistica explicatio eam perfectionem, quae est in argumento christianae doctrinae. Quamvis haec formis utatur non e cogitatione purâ, sed e naturali hominum ratione arcessitis; tamen distinctionem continet perfectam divinae naturae et conclusionem vere infinitam; filius Dei non est pars Dei, — ut intellectus Spinozae, — sed Deus totus et perfectus; spi-

ritus autem sanctus, qui reconciliationem hominis efficit cum Deo patre, aeque distinctam habet vim ac veritatem communione fidelium. Absolutâ hac distinctione absoluta conclusio efficitur.

Sed ea, quae est apta substantiae diremtio, apud Spinozam invenitur. Notum est enim, in quinque partes ethicam ejus omnem esse divisam; in prima de Deo agi, sive de simplici substantiae vi ac natura; in secunda de mente, sive de substantiae in cogitationem atque extensionem distinctione; in tertia servitutem humanam, in quinta libertatem, Dei amore atque intellectu impetrandam, sive infinitam Dei secum ipso conclusionem explicari. Quod igitur theatrum Spinoza exstruit universi, divinam comoediam proponit, in actus necessarios partitam et eximiâ arte ad finem perductam. Primo actu principium rerum omnium simplex nec discordiâ ullâ commotum incipit se exponere. — Discessio a se substantiae, in cogitationem et extensionem manifesta diremtio fit actu secundo. — Tertius conflictum exhibet differentium harum formarum, inque singulam hominis naturam congressum. Oppressio haec substantiae ser-

vitutem efficit humanam et interitum cogitationis infinitae. — Ultimo autem actu substantiae infinita efficacitas ab ignominia servitutis et a cruce affectuum mentem humanam vindicat in libertatem, eâque liberandâ se aeque ipsam ab alienatione illa reducit atque intellectu humano intercedente secum ipsa conjungit. Itaque simplici saltem, quamvis non perfecta ratione expressum id videmus, quod vim ac naturam efficit ideae vere infinitae. Principium substantiae e se ipso se emittit; quam implicatam nec definitam rerum in se continet differentiam, distinctiorem exponit; in res creandas sine ullâ suâ se invidiâ educit; vim iis praebet suam et libertatem certam agendi; sed quae a substantia deficiunt res singulae, fine ipsis proprio in judicium vocantur, eoque dilatando et tollendo ab infinita substantia in gratiam et amorem recipiuntur, ita ut reconciliatio haec finis cum initio summum sit atque extremum.

Sed generali hac expositione ad singulas partes deducimur.

Explicatio Spinozismi.

I. Pars prima.

Essentia substantiae.

Quemadmodum in logicis proprio loco demonstratur, hic autem pro certo est accipiendum, — simplicissima substantiae definitio est ea, ut efficientia sit haec veritatis, quae in se ipsam inclusa ab aliarum rerum vi nihil patiatur, sed in omni mutatione eversioneque rerum externarum eadem secum ipsa remaneat et firma *subsistat*. Dicit igitur Spinoza statim ab initio: „substantiam esse id, „quod in se est et per se concipitur sive id, „cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo ipse formetur.“ Quod ergo Jacobius in epistt. de Spinoza conscriptis opinatur, Lessingioque Spinozistico optat ut probetur: „Substantiam unam atque infinitam „non esse in se ipsa, propriâ et a singulis „separatâ non uti potentiâ,“ ea opinio, si definitionem illam necessariam evertere vult sententiâ oppositâ, falsa est omnino. Ut enim Moses ipse Mendelsohnius perspexit, ex ista Jacobiana propositione sequeretur: quod sin-

gulum ac finitum et circumscriptum atque a se ipso est alienum, hoc solum esse in se ipso, hoc tantum re esse verâ; quam vero substantiam ipsam vocamus, et naturâ quadam excludenti definimus, eam se ipsâ non subsistere, non sustineri nisi singulis externisque, solum esse modum ea colligendi, quae in se ipsis sint, et a quibus collectio illa maneat aliena; ita ut siugulorum haec in unum principium reductio comprehensioque in solâ sit cogitatione; id quod ne Cartesio quidem, multo igitur minus Spinozae potuit in mentem venire. Est sane substantia in singulis; non autem desinit idcirco esse in se ipsa; non enim in se ipsis sunt res singulae, sed unâ substantiâ implicatae ac compressae. Nec tamen illud dicitur: perfectâ prorsus ratione substantiam a singulis distingui inque se esse ipsa. Perfectam enim a singulis libertatem non acquirit nisi idea absolute se distinguens atque e contrario suo in se reducens, hac autem conclusione singulam se efficiens singulisque se ideis exponens, quae absolute sint inter se ipsas et ab una substantia distinctae. Sic demum vere a singulo principium creandi absolvitur, quum actione se suâ singulum faciat,

singulumque se factum sibi opponat, quum singulum principio non sit implicitum sed actione ejus positum et sublatum et in actionem ipsam conversum. Liberum igitur principium liberum emittit singulum, absolute id concludendo absolute excludit.

Existentia substantiae.

Sed ex illa ipsa substantiae in principium suum inclusione, qua ad se solam refertur, et a se solâ distinguitur, sequi apparet: hanc ipsam ob causam, quia secum eadem sit substantia, differre eam a se, et quasi duplicem esse, in differentiam sui atque rerum inire. Id quod Spinoza VII. sua prop. affirmat, „ad naturam pertinere substantiae ut existat." — Atque quum naturâ immanenti, inclusione illa ipsa a se substantia excludatur; non aliena vi ulla, sed suo ipsius principio ad existendum perducitur, suique ita in differentiam eductae ipsa est causa (vide defin. I. Spinozae), „essentia ipsius involvit necessario existentiam, nec natura ejus concipi potest nisi existens."

Causa sui.

Haec est cogitatio maximi in philosophiam omnem momenti. Eâ enim infinitae cogitationis initium continetur. Finita cognitio non admittit causam infinitam sive causam sui, hoc est, eam, quae a se ipsa ad agendum excitetur, se tantum ipsam efficiat, sive externam se faciat et ex effectu in sese reflectatur. Circumscripta finibus externis ratio nisi finitam non adhibet causam, sive talem, qualis aliena vi moveatur, in aliam rem agat, aliam conficiat, neque e contrario in se ipsam se reducat, sed omnem hunc motum ita habeat a se alienum, ut et aliâ causâ actio ipsius agatur effectusque sit illius, et efficentia ipsa alieno effectu se perdat, in effectus naturam transgrediatur, neque ex eo in se redeat ipsam. Haec neque initium actionis suae nec finem in se ipsa continet; in utramque partem externo fine finitur, alienâ causâ sollicitatur efficiturque, in alienum cadit effectum, qui aliena vi in causam ipse mutatur. Qui motus in ea est ratione, causam alienam in alienum effectum deducit, hunc in causam aeque finitam revertit, et ab ea causa rursus ad aequum effectum procedit,

et sic in infinitum. Omnis haec causae finitae a se alienatio causâ sui alienatur. Quamvis Spinoza finitam illam causae effectusque rationem, progressum illum, quem vocant in infinitum, in rebus finitis locum habere non neget; in prima tamen vel unica potius substantia diremtionem illam causae ab effectu non patitur; sed causam sui substantiam cognoscit esse, sed talem in ea intelligit efficacitatem, quali se ipsam efficiat effectamque contineat, quali aeque extra se ducatur atque in se revocetur, qualis inclusionem illam evanescere non faciens, in conclusionem potius, quae sit perfectior, attollat vertatque. Infinita haec actio, qua sese substantia efficit ipsa, nec cogitationem solam se esse demonstrat, imaginatione, ut recte Spinoza, non potest comprehendi, sed solo intellectu sive mente infinita, neque ea ens est rationis, sive, ut Spinoza vocare consuevit, imaginationis. Tale enim ens ita est a diversa rerum natura abstractum et in simplicem prorsus formam reductum, ut in differentiam propriam atque immanentem nequeat existere, ut efficientiam, qua per se sit ipsum, non assequatur. — Potest de ea re id legi, quod est in prop. XL.

et schol. In epp. pag. 468, haec sunt: „Cum „multa sint, quae nequaquam imaginatione, „sed solo intellectu assequi possumus, qualia „sunt substantia, si quis talia ejusmodi notio„nibus, quae duntaxat auxilia imaginationis „sunt, explicare conatur, nihilo plus agit, quam „si det operam, ut suâ imaginatione insaniat.“

Imaginatione autem Spinoza rationem finitam comprehendit; quas ea a rebus in se distinctis simplices abstrahit formas, — ut ens, — imaginationis auxilia appellat. — Ut igitur substantia non nisi simplex nec definita sit forma; ab eo tantum abest, ut veritas potius rerum, infinita formarum materia atque potentia, distinctio secum congressa esse intelligatur. —

Affirmatio substantiae.

Apparet ergo substantiam efficientiâ se suâ simpliciter *affirmare*, causam sui affirmationem sui ipsius simplicem esse et infinitam. Non absoluta sui affirmatio est; effecta enim substantiae affirmatio se non ipsam ipsa affirmat; vis affirmandae substantiae effectam substantiam antecedit; propriam haec affirmationem a se habet alienam, a propria sua actio-

ne, a se ipsa est aliena, neque per se perfecta atque absoluta. Quum igitur una eademque effecta substantia negantiam inclusionis suae pariter, atque affirmationem, antecedentem habeat et alienam; negantia ipsius est extra unam atque eandem substantiam, extra id, quod est in se ac per se, ergo in differentia aliena, in alio et ad aliud refertur. Absoluta autem per se ipsam negantia ad se ipsam negando se refert, se simplicem esse negantiam negat, opponendo se sibi affirmationem sui absolutam producit, affirmationem affirmationis, negationis negantiam absolvit. Spinozistica negantia ad aliud se refert, non se ipsam negat, est ergo, habetque id cum affirmatione simplici commune, ut non negetur. Est igitur simpliciter simul in se atque in affirmatione. Etenim negatione inclusionis, negandâque alienâ effectus naturâ causa sui, substantia se affirmat; et quum inclusio illa simplex negantia sit sui et affirmatio; simplex sui negantia in affirmatione sui infinitâ, in substantia est ipsa. Si vero, pro eo ac debet, extra substantiam negatio ponitur, si a se dicitur esse aliena; ab ea negatione est aliena, quae a se ipsa restat aliena; itaque non est a se ipsa alienata, sed

sed propria sui negatio, quae negando se affirmat. Neque omnino ad aliud quid, sed ad aliam negantiam negantia refertur; quum autem non ad aliam quam ad aliam referatur; ad se ipsam referri, se ipsâ affirmari intelligitur; nam eadem cujusque natura est ac definitio.

Sed ea negantia negantiae aeque atque affirmationis affirmatio inclusione substantiae, effectam substantiam antecedente, implicatur ac retinetur, ab effecta substantia non exponitur, sed aliena relinquitur, neque ad absolutionem pervenit suam. Negatio negationem retinet inclusam atque alienam, eademque affirmationis est ratio.

Accidentia.

Quamvis igitur substantia in suam ipsius differentiam se propellat existatque; tamen, quum simplici tantum principio e semet ipsa ejiciatur, inque simplicem hanc transeat vim causae cum effectu ejusdem atque ex eo in sese regressae, — certam ac distinctam distinctionem nondum exponit, sed implicatam habet et confusam ideoque extrinsecus accipit accidentem, et ab efficentia substantiae

alienam. Quod autem a substantiae efficacitate est alienum, et tamen ad eam necessario refertur, hoc nihil potest esse aliud, quam id, quod non subsistit et quidem substantiae actioni subjectum non resistit; quae autem sola huic tollenda est forma, inclusione illâ in se substantiae continetur; nisi enim inclusione hac tollendâ esse ipsa actio non potest. Retentio igitur illa necessarium hunc habet finem, ut non subsistat. Itaque substantia ipsa non subsistendi principium includit. Quum autem inclusio haec se ipsam ipsa repellat, repulsamque complexetur atque ad se reflectat, et in omnem hunc motum actionemque ineat ipsa; quod non subsistit inclusum principium ipsum se in id convertit, quod solum subsistit, atque ita secum ipso se copulat, ut nequeat esse, nisi eo tollendo, quod ita est definitum, ut non subsistat. Hoc autem, quia secum ipso conclusum ac comprehensum non est, in differentiam dilabitur externam, qua solvendâ distinctio causae infinitae et conclusio perficitur. Haec necessaria est ratio substantiae ad ea referendae, quae accidentia vocantur.

Arctissimâ igitur substantiae cum acci-

dentibus conjunctione explicatâ, mirum non potest videri, Spinozam accidentium nomine modificationes omnes substantiae sive modos comprehendere, ut patet ex eâ, quam accidentium proponit definitionem cum ea, quam profert modificationum unam eandemque; vide epist. IV. pag. 403. „Per modificationem“ — (inquit) — „intelligo, sive per accidens id, „quod in alio est, et per id, in quo est, con„cipitur. Hinc clare I. constat, quod sub„stantia sit prior naturâ suis accidentibus; „nam haec sine illa nec concipi possunt ne„que existere. II. Secundo apparet, praeter „substantias et accidentia nihil dari realiter „sive extra intellectum.“ — Eâdem plane ratione de modo Spinoza pronuntiat, vide defin. V. et prop. I. eth. I.

Immo attributorum ipsorum vis ac natura ad accidentium trahenda principium est; qua enim ratione accidentia definiuntur, ut non in se ipsis, sed in alio sint perque aliud concipiantur, eâdem, — quemadmodum postea apparebit, — etiam attributa sunt concipienda, quae non in se solis perque se ipsa subsistere intelligemus.

Atque omnino erit dicendum, nomina haec

ipsa attributorum modorumque accidere, Spinozae, neque causam, cur adhibeantur, ullam afferri. Attributum pariter ac modus verba sunt incertae significationis, nec propria et peculiari ipsis vi cum substantia conjunguntur. Etenim quod est maxime definiendum, attributo solo non exprimitur, cuinam id rei, ceteris exclusis, debeat attribui; modus autem per semet ipsum, quam ad naturam proprie pertineat, certius non declarat. Sin accuratius vim earum formarum volumus distinguere et attributa eo nomine nuncupare, quod a nobis adhibetur; attributum sive qualitatem non in substantiae a se distinctae principio atque efficientiâ cum Spinoza; sed in Esse simplici et cum definitione prorsus eodem ponere debemus. Atque eundem in locum modus est ablegandus; nam qualitate in quantitatem commutanda, et quantitate in qualitatem reflectanda, modus simul efficitur et Esse ad finem pervenit suum. Quamobrem quum modus jam ipse fixam qualitatis et simplicem tollat naturam; substantia, cujus principium est efficientia infinitâ, multo minus in se tolerat qualitatem sive attributum, quod revera, — ut quidem Spinoza affirmat, — per

se solum sit et per se solum concipiatur. Substantiae attributum, — si quod ei esse dicere velimus, — actio est simplex atque infinita, qua attributum fixum sive qualitas omnino tollatur. Spinoza autem non quaerit, utrum apta adhibeat et propria rei nomina, nec ne; — utrum veritas rei ipsius definitione explicetur, an descriptio a rebus aliena proferatur. Satis se legibus philosophiae autumat fecisse, quum argumento nullo proposito, ab initio notum fecerit lectori: Se, Spinozam, per attributum intelligere id, „quod intellectus de „substantia percipit tamquam ejus essentiam „constituens, per modum autem substantiae „affectiones sive id quod in alio est, per quod „etiam concipitur," defin. IV. et V.

Perspicuum est ergo, qui substantiam suscipiat describendam, intellectum esse Spinozisticum, cujus cum substantia conjunctio necessitasque non exponatur. Qua de causâ, quum intellectus, — quemadmodum jam est clarum, — modus sit substantiae, modus autem id, quod in alio est, et per aliud concipitur; substantia non suâ ipsius operâ, sed eo definitur, quod in alio est, et ipsum, qua definiatur, aliâ indiget vi sive cogitatione.

Nihil igitur dicit Spinoza nisi hoc simplex: esse substantiam, naturam ejus necessariam definiri oportere, definitiones substantiae aptas attributa vocari, non autem a substantiâ ipsâ eas produci, sed aliena vi inferri, aliamque hanc vim modorum nomine designari.

Necessitas autem hujus explicationis, causa, cur sint attributa et modi, ex ipso substantiae principio nulla deducitur; substantia tota est in accidentibus, iisque tollendis tota occupatur. Atque haec prima est ejus definitio et maxime propria; ita ut accidere distinctionem in Spinozismo omnem, autori non possit in vitio dari, quum singulus per se quisque cogitationis philosophicae amplificator certum et fixum teneat principium, quod perfectius exponendum aliud requirat ingenium, neque perfectam omnino sui ipsius explanationem comprehensionemque assequatur, nisi ad finem extremum, nisi ad absolutionem mentis ipsum pervenerit.

Itaque Spinoza, substantiae principio definito, certo quodam ordine propositiones admittit, quibus initium illud accuratius describatur. Dicit igitur: „Substantiam priorem naturâ suis esse affectionibus (Eth. I. prop. I.)

sive accidentibus." Id quod simplici modo e definitione data fluere apparet; nam eam se substantia efficientiam esse commonstrat, cui id, quod accidit, nec secum ipso est necessitate connexum, subsistere non possit. Ab altera autem parte, quum affectiones sive accidentia cuncta ineant in motum substantiae ad effectum perducendae; summa eorum sublata ac comprehensa cum substantia ipsâ una est eademque natura; ita ut modificationes semet ipsis sint priores aeque atque posteriores; si quidem adhibere haec verba velimus, in quibus facilis est error, quum id, quod ad naturam pertinet rerum, ad tempus referri videatur.

Hanc unam substantiae neque accidentibus divisam potentiam persequendo:

1. Unam esse substantiam,
2. atque infinitam,
3. nec dirimi posse suo modo Spinoza ostendere conatur.

Quae sane omnia e principio substantiae facile deducuntur.

Una substantiae vis.

Quamquam enim in causa sui distinctio est infinita; tamen ea, quum effectus nihil conti-

neat, quod non fuerit in causa, in unum redit idemque principium.

Quia vero distincta in eo adhuc distinctio deest, quia efficientia motu illo patefacta se ipsam ipsa nondum distinxit; differentia principio est aeque implicata atque adventitia et disjecta. E duplici hac vi formaque differentiae perfecte nondum explicatae atque comprehensae duo haec necessario sequuntur, — alterum, ut differentia, quum sit in unam substantiam inclusa, totam atque integram substantiae ipsius exhibeat naturam; — alterum, ut in varietatem cadat infinitam, cum simplici aeque modo ab una substantia discernatur fiatque aliena. Substantia igitur ipsa hanc in se continet repugnantiam, ut quae in una eademque substantia differentia sunt, aeque tamen sint in se ipsis; — ut singulum per se quodque eorum, licet omnia in unam substantiam confundantur, tamen sit in se ipso neque cum aliis fiat unum, — ut substantia pariter sit in se retenta atque in differentia ingrediatur.

Attributa ergo, in quibus differentia est substantiae, ita definiuntur a Spinoza: ut unumquodque per se ipsum sit et per se ipsum concipiatur. Prop. X. Eth. I. Quae vero

idcirco enascatur repugnantia, Spinoza non videt. Ipse ea, quae sibi simpliciter repugnant, quasi nihil in iis sit contrarii, alterum post alterum producit. Sed ea repugnantia nequit tolli, nisi intelligatur: hanc ipsam ob causam, quia per se attributa sint ipsa, in substantiae principio ea esse. Cum enim in se sive per se sint attributa, eadem est natura eorum definitioque atque substantiae ipsius; sunt ergo secundum naturam suam in substantia. Atque quum singulum per se quodque attributorum per se sit ipsum; eadem omnium est distinctio, nullum a nullo excluditur, omnia cum omnibus distinctione ipsâ conjunguntur. Quod ergo attributo jam continetur, ut singulum per se quodque in alio sit alioque, ut a se ipse differat ideo quod differentia simpliciter ad se ipsam relata esse definiatur; id explicatum demum existit modo, qui in alio esse dicitur, quum tamen in se ipso esse non possit desinere. Hôc enim ipso, quod in alio est, scilicet modo, ideo est in se; nam quum in alio sit modo, in eo est, quod aeque atque ipse in alio esse modo definitur; ergo in se ipso est. Quum autem in attributo sit suo; in suâ ipsius vi ac natura, in

eo esse apparet, quod in se ipso est; in se ergo est ipso ad suam naturam quod attinet; cum attributum ei detur, id accipit, quo in se teneatur.

Attributis igitur et modis substantia Spinozistica explicanda absolvitur; substantiâ et modis universitas rerum continetur. „In re„rum naturâ nihil datur praeter substan„tias earumque affectiones.“ Cor. prop. VI. „Nam omnia, quae sunt, vel in se, vel in alio „sunt; quod autem in se est, substantia, quod „in alio, affectio sive modus vocatur.“

Atque ea explanatio substantiae elementa quidem singula veritatis absolutae affert congeritque, nec quidquam relinquit, quod situm est in principio substantiae. Attributis enim illud, quod in causa est sui, explicatur: substantiam totam atque integram in singulum per se quodque differentium inire. Qui autem ex attributis deducitur modus, alterum hoc exponit, quod in substantia jam est ipsa: unam quamque differentium formarum, quo in se ipsa sit, eo aliam in aliam induci, causam sui non esse in se ipsa, non sui esse causam, nisi inclusione suâ simplici relictâ in differentiam effectus se converterit, inque effectu sit ad initium reflexo. Cuncta igitur

natura efficientiae infinitae, distinctio inclusionis et conclusio differentiae attributis exprimitur et modis. Quae attributis distincta est substantia, ita ad se modorum auxilio se retrahit, ut differentiam, quae fixa esse attributis videtur, modis evertat tollatque, quibus in alio esse, ex alio pendere differentia demonstretur.

Est ergo in eâ descriptione initium quoddam perfectae distinctionis, quam idea absoluta sibi propriam habet atque immanentem. Substantia generali, — attributa specialibus, modi singulis respondent. Hoc autem interest inter substantiam atque ideam absolutam, ut haec se ipsa distincte distinguat, suisque se viribus e differentia atque oppositione ad sese reducat; — ut generale ideae principium ipsum se dirimat, specialia efficiat, iisque propriâ actione tollendis singulum perfectum producat, quo specialia secum ipsis et cum generali potentia, idea una cum oppositione sua concludatur. Substantia autem non se distincte distinguit, attributis non se facit sibi ipsi contrariam neque oppositione ipsa se secum concludit. Attributa enim substantiae efficientiâ infinitâ continentur, neque haec attri-

butis tam certe circumscribitur, ut ad certum quid efficiendum dirigatur. Nec magis substantia modo distinguitur; is enim, quod attinet ad principium ejus, — non est in se ipso, sed in substantia, cujus non nisi affectio esse definitur; substantia ergo non interrumpitur modo, sed ei continuatur, quatenus ipse subsistit, neque ad aliud refertur. Quatenus autem a substantia discernitur, quatenus a simplici ejus affirmatione separatur, quatenus ab inclusione sive conclusione implicatâ substantiae excluditur; eatenus alienatione sua ita a substantia removetur, ut eam distincte distinguere non possit; itaque ad eam distinctionem efficiendam neque principium modi est aptum neque finis. Si ita modus posset concipi, ut alienâ negantiâ negandâ ad se distincte referretur suique ipsius existeret oppositio et distincta sive affirmata affirmatio; — tum modo vere substantia distingueretur, modus substantia esset ipsa perfecte diremta ac distincta, tum substantia absolute secum concluderetur, tum substantia non esset substantia, nec modus modus. Quod autem propriam modi et peculiarem efficit potentiam, eo cum substantia non concluditur, sed ab ea

removetur. Nam quae modo exprimenda traditur determinatio substantiae, a substantia, quum haec suis se viribus non determinet, prorsus est aliena. Determinatione igitur modi nec distinguitur substantia neque ad se ipsam reflectitur. Quod non continetur unâ atque simplici substantiâ, distinctione cum ea non conjungitur, distinctam non proponit substantiam, sed alienationem a substantia alienatam. Alienum autem hoc a se ipso ipsum, quod in alio est alioque; — ad aliud semper et aliud quo definitionem suam perficiat determinetque, transmittitur, nunquam vero, ut perfectum sit in se ipso, ut aliud omne in semetipso contineat comprehensum, ut alias has formas in suam formam convertat, ut sua ipsius distinctione determinetur, assequi progressu in infinitum illo potest. Itaque modus non minus distinctione caret distincta, quam substantia infinita; — haec, — quia in se remanet fixa neque in differentiam certam se expellit; — ille, — quia, ut definitionem non ex alio habeat repetendam, sed oppositione propriâ complectatur, nequit efficere.

Quum igitur substantia affirmatio et conclusio sit sui; modus sui ipsius a se aliena-

tio, aliud est sui, aliunde accipit definitionem, in se determinationem absolutam non habet. Atque defectus hic absolutae determinationis forma est ea, qua ad substantiam, eodem vitio affectam, modus refertur. Non distincte definita substantia modum requirit sive determinationem non certius perfectiusque distinctam. Substantia enim ipsa negatione fixae distinctionis efficitur atque continetur; quoniam autem negantia haec prima et simplex se non ipsa distinguit, se non negat ipsam ipsa; suâ a negandi actione, a se ipsâ est aliena, et ad se tamquam ad alienam refertur naturam. Aliena haec a se ipsa et a substantia negatio in modo conspicitur. Haec est necessitas modi ad substantiam referendi.

Itaque modus distinctionem distinctam in substantiam non infert; alienus ab aliena relinquitur; substantia in se remanet tranquilla, neque ad agendum procedit. Modus a se alienus ex alio in aliud abducitur, numquam quiescit, non in sese regreditur, aliud ipsum non superat, se non assequitur, se ad substantiae conclusam naturam non revertit attollitque, sicut substantia ad propriam modi naturam non descendit. Tranquillitas sub-

stantiae aliena restat a modo, ab eo, quod in alio est. Progressus, qui frustra petit infinitum substantiâ secum congressâ non gubernatur, non tollitur. Alienatio distinctioni distinctae non cedit.

Certa haec et distincta explanatio ad vim substantiae perfecte exprimendam omnino est necessaria; neque satis res explicatur declaratione hac simplici: esse aut non esse in substantia differentiam sive distinctionem vel negantiam.

Infinitio substantiae.

E simplici autem hac neque distincte definitâ naturâ substantiae elucere jam videmus, quomodo infinitio ejus debeat comprehendi. Est enim substantia infinita, quia ad se ipsam refertur; quia finis, — quem sibi propositum causa habet sui, quem assecuta in sese reflectitur, — haec ipsa est causa, effectu non finita, non circumscripta, non repressa, sed efficiendi actu se affirmans, sed conclusione suâ alienationem alienans, finem excludentem excludens. Finis igitur inclusionis, hac in conclusionem convertendâ, simpliciter se evertit inque infinitionem attollit. „Itaque recte

„Spinoza in demonstratione prop. VIII. infi-
„nitam esse substantiam, quia si finita esset,
„aliâ substantiâ finiretur, quae pariter esset
„finita; nam secundum defin. II. Ea res di-
„citur in suo genere finita, quae aliâ ejusdem
„naturae determinari potest: non autem sub-
„stantia aliâ substantiâ potest finiri, est ergo
„infinita. Et schol. I. prop. VIII. P. I. Eth.
„Cum finitum sit ex parte negatio, et infini-
„tum absoluta affirmatio existentiae alicujus
„naturae; sequitur omnem substantiam esse
„infinitam; nam secundum prop. VII. ad na-
„turam pertinet substantiae ut existat; non
„existere igitur, finiri non potest."

Sed ea finiti a substantia remotio ideae absolute se determinantis finientisque infinitio non est. Substantiae efficientia finibus inclusionis excludendis explicatur perficiturque. Quum ad perfectionem hanc suam est progressa, quum effectu vere existit; finem, qui antecedit inclusione illa implicatus, — quoniam haec simpliciter excluditur conclusione, — non habet in se ipsa nisi exstinctum, neque ad eum nisi ad alienum refertur. Sive quum inclusio illa se ipsa a se excludat concludatque secum; finis ipsius in infinitionem conversus aeque se

con-

continet exstinctum, atque se a se alienat excluditque. Conclusio igitur haec, quia ab inclusione hac simplici initium sumit, tam ipsa est simplex, ut ad illam tollendam omnino reflectatur, neque ad eam perveniat distinctionem, qua excludere se rursus a se ipsa, qua determinare se queat. Non eam assequitur absolutionem, ut determinationem non solum excipiat antecedentemque evertat; sed e se ipsa producat expositamque complexetur; ut terminus a perfecta efficientia non sit alienus, neque ab incipiente solum auferatur. Excluditur alienaturque infinito simpliciter modo a substantia finitum; alienâque ratione ad alienam infinitionem refertur; ita ut definitone suâ impediatur, quominus infinitionem acquirat, licet finita finitis perpetuo tollantur. Absoluta finiti cum infinito conclusio substantiae ipsius efficientiâ non perficitur.

In veritatem ex parte incidit Jacobius, quum Lessingio nuntiaret: „A Spinoza transitum infiniti ad finitum non admitti.“ Revera enim substantia infinita finitum ita a se excludit alienatque, ita se continet in se ipsa, ut transire in finitum non queat. Sed recte Schellingius in scriptis suis philosophicis: pag.

161. „Omnem postulare philosophiam, ut „transitus ille non statuatur.“ Sin autem idem Jacobius in suis 44 de Spinoza propositionibus suscipit affirmandum: „summam rerum „finitarum cum re infinita (*ut dicit*) unam „esse atque eandem; finitum, quum ex omni „sit aeternitate, extra infinitum esse non pos„se, quia si extra esse infinitum poneretur, „— aut per se deberet esse, aut ab eo, quod „per se ipsum est, e nihilo creatum; — per „se si finitum esse dicatur, in infinitum con„verti; — sin autem e nihilo esset creatum, „vim quoque creandi in nihilo necessario fu„isse. E nihilo autem et per nihilum crea„tum finitum non esse creatum, non esse „finitum, igitur infinitum;“ ea affirmatio, quam prop. 28. P. I. Eth. ejusque demonstr. et schol. se sperat confirmasse, si quidem hoc vult exprimere: Finitas res, quales in se ipsis sunt, quales finitâ ratione concipiuntur, tales etiam in infinita esse substantia, tales etiam infinito intellectu comprehendi, — eundem exhibet errorem, quem jam initio notavimus, quum in se ipsâ substantiam esse ac retineri demonstraremus. Ex his, quae dicta sunt, intelligi oportet: Infinitionem substantiae termino

simpliciter delendo in se esse ipsa, nec fixis componi finitis, qualia finitam occupant rationem. Nequit autem negari: absolute a finito distinctam eam non esse infinitionem. Jam enim est probatum: infinitionem tollendâ determinatione effectam terminum in se continere modo internum et exstinctum, ideoque modo alienum exclusumque. Neque internus tantum, neque alienus modo terminus ab effectâ infinitione est productus ac distinctus; neuter eorum vim existentis infinitionis proponit; neutro haec est absoluta, altero in se retinetur, ad alterum modo refertur. Perfecte a finito non liberatur, nisi ipsum e se ipsa producat, nisi se finiendo sibi opponat, terminoque sublato se secum concludat; ita ut non solum *in* se, verum etiam *per* se sit infinita; quo demum modo vere infinita existit; nam si in se est tantum; non ita distinguitur, ut comprehendere se ipsam possit ipsa; est igitur adhuc a se aliena, si modo est interna. Absoluta autem infinitio non est in substantia, sed in idea sola absoluta. Nimirum infinitio non est fixa quaedam vis ac natura; formatur potius definitionibus philosophiae omnibus, et ab idea absolutâ ad formae momentum deprimitur.

Spinoza postulat tantum, ut infinita substantia determinatione absolvatur; efficere id nequit. Quod ut verbis ipsius comprobetur, prop. XXVIII. ejusque demonstr., locum hic inveniant. „Prop. Quodcunque singulare, sive „quaevis res, quae finita est, et determinatam „habet existentiam, non potest existere, nec „ad operandum determinari, nisi ad existen„dum et operandum determinetur ab alia „causa, quae etiam finita est et determina„tam habet existentiam; et rursus haec causa „non potest etiam existere, nisi ab alia, quae „etiam finita est, ad existendum determine„tur, et sic in infinitum. — Demonstr. Quid„quid determinatum est ad existendum, a „Deo sive substantia infinita sic determina„tum est; at id, quod finitum est, ab abso„luta naturâ alicujus substantiae attributi pro„duci non potuit; quicquid enim ex absoluta „natura talis attributi sequitur, id infinitum „et aeternum est. Debuit ergo e substantia „vel aliquo ejus attributo sequi, quatenus ali„quo modo affectum consideratur; praeter „enim substantiam et modos nihil datur, et „modi nil sunt, nisi substantiae attributorum „affectiones. At e substantia vel aliquo ejus

„attributo, quatenus modificatum est modifi-
„catione, quae aeterna et infinita est, sequi
„etiam non potuit. Debuit ergo sequi e sub-
„stantia vel aliquo ejus attributo, quatenus
„modificatum est *modificatione*, quae *finita*
„est. Quod erat primum. Deinde haec rur-
„sus causa sive hic modus debuit etiam de-
„terminari ab alia, quae etiam finita est, et
„rursus haec ultima ab alia et sic in infi-
„nitum."

Longa haec demonstratio minime demonstrat, qua tandem ratione ac necessitate finis absolute distinctus ab infinitâ substantiâ producatur. Quod demum probari oportet: finitâ modificatione infinitam substantiam se modificare, ex infinita modificatione finitam modificationem posse deduci; hoc, — in quo summa est rei, e quo propositio illa pendet probanda, — Spinoza non exponit, sed tamquam per se clarum sibi sumit ac concessum. Etsi finitâ hac modificatione ad infinitam modificationem et ad attributa substantiamque adjiciendâ, finitum a finitâ ratione cohaerentiae ab inutilique conatu infinitonis progressu perpetuo assequendae ad substantiam ipsam revocare atque efficere videatur, ut cuncta quae

sunt, in una substantia esse appareant; hoc tamen perfectum tam simplici atque aliena modificationis finitae additione prorsus non est; sed quid faciendum, incerto tantum modo indicatum. Nam quum finita haec modificatio extrinsecus ad substantiam accedat; externam finitorum conjunctionem in absolutam ideae conclusionem necessitatemque non attollit; ipsa potius in alienationem exsiliumque e se ipsis finitorum ejicitur; de coelo substantiae, — imaginibus si liceat uti, — in Tartarum finiti detrusa fructu infinitionis frustra petendo, inutili labore damnatur finitum infinitione complendi. Nec perfectius substantiam definit, quum ei accidat tantum, a substantiâ non efficiatur distincteque explicetur. Atque omnino modificationis haec in finitam et infinitam partitio nihil est nisi indicatio distinctionis optatae, de quâ demonstrandâ atque exponendâ Spinoza non cogitat. Nam substantia ipsa neque efficit finitum distinguitque, neque absolute id tollit et ad veritatem aeternam reducit. — Huic igitur modo infinitionis definiendae aptum est exemplum, quod Spinoza (epist. XXIX. pag. 469.) a circulis repetit duobus, quorum alter alte-

rum circumcludit, diverso e centro descriptus. „Inaequalitates omnes spatii duobus circulis interpositi omnem superant numerum, „infinitatem earum fixorum finitorum nulla „accumulatio assequitur, idque non propter „nimiam spatii interpositi magnitudinem, — „(nam minima ejus pars omnem aeque numerum vincit) — sed ideo, quod natura spatii „interpositi id non patitur. Nec tamen non „determinata infinitio haec est; perfecte duobus circulis circumscribitur concluditurque, „nec quidquam, quo demum perficiatur, habet quaerendum. Est igitur infinitum actu „ut dicit Spinoza. Non autem distincto atque opposito, sed simpliciter incluso et exstincto termino efficitur. Idea igitur absoluta ad suam infinitionem illuminandam exemplum si vult adhibere, illud admittere non potest. Aptum ei exemplum magnetismo offertur, quo infinitio distinctis et contrariis finibus diremta, et per oppositionem ipsam secum conclusa atque affirmata proponitur.

Sed eâ vi infinitionis determinationem non perficientis ratio aeternitatis definiendae constituitur. „Per aeternitatem intelligit Spinoza ipsam existentiam, quatenus

„ex solâ rei aeternae definitione necessario „sequi concipitur," defin. VIII. additque hanc „explicationem: „Talis enim existentia ut „aeterna veritas, sicut rei essentia concipitur „propterеaque per durationem aut tempus „explicari non potest, tametsi duratio fine et „principio carere concipitur." Itaque prop. XIX. Deum sive substantiam aeternam esse affirmat. Et epist. 29. pag. 466. certius aperit sententiam suam: „Per durationem enim „modorum tantum existentiam explicare pos„sumus, substantiae vero per aeternitatem, hoc „est, per infinitam existendi sive essendi frui„tionem. E quibus clare constat, nos modo„rum existentiam, ubi ad solam eorum essen„tiam attendimus, determinare atque in par„tes dividere posse; aeternitatem vero et „substantiam, quandoquidem non nisi infini„tae concipi possunt, nihil eorum pati posse. — „Tempus nihil est praeter cogitandi seu po„tius imaginandi modum. Aeternitas vero „non potest concipi nisi intellectu. Tempus „igitur imago tantum est aeternitatis. Infi„nitam substantiam duratio nulla assequitur. — „Duratio est non definita existendi continua„tio, def. V. P. II."

Docent haec omnia, aeternitatem substantiâ solâ contineri, ab infinitione ejus alio modo non discerni, quam quod ad tempus referatur; tempus autem ad finitam modificationem detrudi, eâque ratione a substantiâ aeterna, et alienari simpliciter, et exstinctum in eam includi. Abhorret ergo Spinozismus a vulgari illa opinione, quae post aeternitatem immensam, post aeternitatis, — ut ita dicam, — tempora tempus temporis olim sequutum esse jubet; post tempus iterum aeternitatem aliquando venturam esse sperat. Intelligit Spinoza: finem aeternitatis terminumque cum initio ipsius infinite esse conjunctum, temporis intervallo finem ejus ab initio non separari, non antecessione, non successione aeternum a tempore disjungi; sed infinitâ suâ natura ac veritate, quae ab omni aeternitate tempus excludat, principium aeque sit eorum, quae tempori subjiciuntur, ac finitis finiendis se negantiam esse infinitam temporis finemque demonstret. Quod in Spinozismo ad aeternitatis vim perfecte exprimendam adhuc desideratur, illud est idem, quod jam in infinitione exponendâ flagitavimus, ut aeterna substantia non solum alienatum a se

exclusumque tempus relinquat; verum etiam efficientiâ suâ temporis vim infinitam producat, se ipsam in temporis formam immittat, suâque actione tempus ad aeternum principium attollat. Perfecte enim definita aeternitas in finitis, in singulis, in temporalibus se inesse ipsa ostendit, neque inclusa simul atque aliena a se, quemadmodum substantiae aeternitas, relinquitur.

Individua substantiae natura.

Restat, ut individuam substantiae naturam proponamus. Proposit. XII. Eth. I. „Nullum substantiae attributum," inquit Spinoza, „potest vere concipi ex quo sequatur substantiam posse dividi; — et demonstratur hoc „ita: Partes, in quas substantia sic concepta „divideretur, vel naturam substantiae retinebunt vel non. Si primum, tum unaquaeque „pars debebit esse infintia, et causa sui, et „constare ex diverso attributo adeoque ex „una substantia plures constitui poterunt, „quod est absurdum. Si autem secundum „ponatur, quod partes naturam substantiae „non retinebunt; ergo quum tota substantia „in aequales partes esset divisa, naturam sub-

„stantiae amitteret, quod est absurdum.“ — Idemque Prop. XIII. et schol. affirmant: „sub-„stantiam absolute infinitam dividi non posse.“ — Atque pag. 15. schol. prop. XV. quod ad substantiam pertinet omnino, de materia, sive substantia extensa docetur: „Materiam ubi-„que esse eandem nec partes in eadem distin-„gui, nisi quatenus materiam diversimode af-„fectam esse concipimus; partes materiae mo-„daliter tantum distingui, non realiter.

Nihilo tamen minus de pluribus substantiis Spinoza loquitur ipse ex. gr. in Coroll. prop. VI. itemque in epist. IV. (pag. 404.) Attingitque eam rem schol. prop X.

„Quamvis duo attributa realiter distincta „concipiantur, hoc est, unum sine ope alte-„rius; non possumus tamen inde concludere, „ipsa duas diversas substantias constituere; „id enim est de natura substantiae, ut unum-„quodque ejus attributum per se concipiatur; „nam omnia attributa simul in ipsa *semper* „fuerunt, nec unum ab alio potuit produci. „Uni igitur substantiae plura attributa tribuere „non est absurdum. Componitur ergo ens ab-„solute infinitum infinitis attributis, quorum „quodque aeternam atque infinitam certam

„essentiam exprimit; neque est nisi una tan-„tum substantia."

In his propositionibus eadem latet repugnantia, quam jam in simplici nec differenti substantiae principio et in infinitione ejus observavimus. Si enim revera, — ut est quidem affirmatio, — nihil omnino attributum nisi simplicem ac secum ipsa eandem naturam substantiae exprimeret, eamque naturam totam atque integram contineret, neque ab unâ substantia esset distinctum; tum multitudo eorum aut esse non posset, aut si nihilominus esse diceretur, immensitatem substantiarum efficeret, quibus unica substantia simpliciter auferretur. Atque necessaria illa est repugnantia principii individui et tamen se totam a se dirimentis, inque distinctionem ita intrantis, ut numerum ipsum et partitionem adhiberi patiatur. Sed ea inter substantiam et ideam perfectam differentia intercedit: ut substantia alienatione suâ et inclusione a se repellatur, — simplici et alienâ ratione existere e principio atque in id redire diversas sinat substantias, — actione se suâ non multiplicet; idea vero absoluta necessario se actu distinctâque distinctione discernat dividatque,

distinctarum idearum orbe exponat, iisque ad absolutionem et principium perducendis se ad sese reflectat, oppositione ipsâ eandem secum se faciat.

Indivisa igitur substantia attributis suis, hoc est, simplici naturae suae definitione in substantias indivisas dirimitur; est ergo in ea initium monadis Leibnitianae, quae in infinitatem monadum se expellit. Cum autem substantia substantias efficientiâ suâ simplici contineat exstinctas atque implicatas, neque iis distinctam tribuat potentiam et liberam actionem; — monas e contrario, quia substantiam proponit e substantiis et finitis modificationibus simpliciter ad se ipsam reflexam eoque discrimine sublato determinatam conclusamque, ita ad se refertur differentiâ reflexâ, ita actum distinguendi in se dirigit ipsam, ut in infinitatem monadum se emittat, quae sint non simplici suâ naturâ atque alienatione, quemadmodum substantiae Spinozisticae, sed reflexâ in se differentiâ et determinata conclusione a se invicem divisae et conjunctae. Nec tamen perfecte monas se a substantia distinguit; quam enim haec non absolvit distinctionem distinguendam, eam

etiam monas non producit; nec quidquam ad substantiam affert perfectionis, quam ut eam a finita modificatione reducat, finitam modificationem ad substantiam infinitam attollat. Tollitur determinatio aliena, quae est in modo Spinozistico, tollitur differentia externa et adventitia mutatio modificatioque; nam monas causam mutationis habet internam; non accipit extrinsecus modificationem; se ipsam ipsa sibi proponit. Non autem pervenit eo, ut differentiam, quam habet ex alienatione reflexam, absolutâ oppositione exponat, ut oppositione hac a principio, unde pendet, substantiae, perfecte se ipsa distinguat, libertatemque certam ac distinctam acquirat. Terminum et differentiam certam non quidem accipit ab aliis aliisque in infinitum rebus, sed praefectam sibi differentiam habet, praepositumque a substantiâ terminum. Non externis finibus finitur, sed iis qui sunt in infinitionem simpliciter reflexi; actio igitur monadis orbe quodam continetur, cujus ipsa non potest dilatare circumscriptionem ab antecedente principio constitutam. Atque quum differentia finitae modificationis ad indifferentem substantiae naturam modo sit reflexa; monades

ita effectae differentiâ distinguuntur ipsarum viribus non productâ. Non igitur liberâ necessitate sive necessariâ libertatis potentiâ se concludunt ac distinguunt; sed harmonia ipsis et discrepantia praescribuntur, regendis sunt praefectae. Monades liberâ constitutione non gaudent.

Haec est principii Spinozistici cum Leibnitiano cohaerentia; quam magis definitam finis Spinozismi, infinita substantiae comprehensio, „mentis erga Deum amor propo„nit, quo Deus se ipsum amat, non, quatenus „infinitus est, sed quatenus per essentiam hu„manae mentis, sub specie aeternitatis consi„deratam explicari potest.“ — Qua ratione Deus Spinozisticus se monadem esse demonstrat, quae se sibi ipsam proponat manifestamque efficiat, et ipsam ipsa amplectatur. Immo Spinoza ipse ad substantiam reflexus eamque intellectu suo comprehendens ac proponens monas fieri est dicendus. Hôc autem fine ipse retinetur. Praecipitat se in profundum substantiae; non emergit secundâ generatione creatus. Nec praeclusam substantiae naturam et mysterium rerum creandarum differentiâ recludit aperitque.

Sed quemadmodum his omnibus est demonstratum, propriâ et peculiari substantiae definitione, quae causa sui continetur, ab initio primo prolatâ, extrinsecus Spinoza congerit formas, quibus principium ita describat, ut eas a substantiâ sublatas esse contendat. Sic differentiam determinationem partitionemque principio suo ponit negatas. Verâ logicorum expositione definitiones hae omnes substantiam antecedunt; atque eâ ratione proponuntur, qua *in se ipsis, qua per se sunt ipsas;* sic propriâ actione alia in aliam se convertit rursusque producit atque effectu suo sese affirmat, sic singulae immanenti ipsis et absolutâ necessitate secum concluduntur. Quo autem modo in substantia insunt exstinctae et sublatae; distincte non explanantur. Non igitur revertenda est actio substantiae ad eas formas, quae jam sunt proprio loco explicatae et ad substantiam usque perductae; sed eo ipsa debet procedere, ut aptâ se distinctione distinguat, ut novas e se formas educat; id quod substantia Spinozistica non praestat. Nihil igitur ipsi relinquitur, quam ut alienatione sua sive modo, hoc est, intellectu Spinozistico inclusionem suam seu formas, quas habet inclusas

ex-

exstinctasque sinat describi. Simplex haec intellectus cum substantia conjunctio impedit quidem, quominus ille a veritate principii aberret; simul autem est causa, cur ea, quae, si per se exponuntur, omnino sibi repugnant, nullo prorsus modo contraria sibi, sed eadem facta substantiae viribus esse videantur et tamquam mortui inimici in uno substantiae sepulcro quiescant.

Definitio Dei.

Attamen in simplicibus his cogitationibus vis est omnis et summa Spinozismi; nec vere hic potest cognosci, nisi illae perfecte exponantur. Cetera omnia ex his initiis facillime deducuntur; sin haec distincte non sunt distincta, reliqua in dubio necesse est remaneant. Qua de causa omnino est rejicienda ratio eorum, qui opinione possessi hoc solum, quum ad Spinozam accedunt, investigandum opinantur; utrum scilicet cogitationes Spinozae cum eo prorsus conveniant, quod ipsis imaginatione vel auctoritate probatum esse videatur. Hi cogitationibus infinitis, quae fundamentum faciunt doctrinae, neglectis omissisque, id sibi sumunt contemplandum, quod

etiam in sensu hominum communi et sententia est. Atque his collato pede dimicandi copiam Spinoza facit, quum principio suo id definiat, quod summum est in opinione et in fide. Quoniam autem ea res tam vehementer animos solet commovere; certa Spinozae ipsius verba afferantur. Defin. 6. „Per Deum, „inquit, intelligo ens absolute infinitum, hoc „est, substantiam constantem infinitis attribu„tis, quorum unum quodque aeternam atque „infinitam essentiam exprimit. — Tum prop. „11. Deus sive substantia constans infinitis „attributis necessario existit. Et prop. 14. „Praeter Deum nulla dari nec concipi sub„stantia potest, et prop. 15. Quicquid est, in „Deo est, et nihil sine Deo esse nec concipi „potest. Et prop. 16. Ex necessitate divinae „naturae infinita infinitis modis sequi de„bent. — Coroll. I. Deus est omnium re„rum causa efficiens, — Coroll. II. Deus est „causa per se, non vero per accidens. — Co„roll. III. Deus est absolute causa prima. „Prop. 17. Deus ex solis suae naturae legi„bus, et a nemine coactus agit. Coroll. I. „Nulla est causa, quae Deum extrinsece vel „intrinsece, praeter ipsius naturae perfectio-

„nem, incitet ad agendum. Coroll. II. Solus „Deus est causa libera, Deus enim solus ex „sola suae naturae necessitate existit, et ex „sola suae naturae necessitate agit (adde scho- „lium seq.) Prop. 18. Deus est omnium re- „rum causa immanens, non vero transiens. „Prop. 19. Deus sive omnia ejus attributa „sunt aeterna. Prop. 20. Dei existentia ejus- „que essentia unum et idem sunt. Prop. 21. „Omnia quae ex absoluta naturâ alicujus at- „tributi Dei sequuntur, semper et infinita „existere debuerunt sive per idem attributum „aeterna et infinita sunt. Prop. 22. Quicquid „ex aliquo Dei attributo, quatenus modifica- „tum est tali modificatione, quae et necessa- „rio et infinita per idem existit, sequitur, de- „bet quoque et necessario et infinitum exis- „tere. Prop. 24. Rerum a Deo productarum „essentia non involvit existentiam. Prop. 25. „Deus non tantum est causa efficiens rerum „existentiae, sed etiam essentiae. Coroll. „Res particulares nihil sunt, nisi Dei attribu- „torum affectiones sive modi. Prop. 26. Res „quae ad aliquid operandum determinata est, „a Deo necessario sic fuit determinata; et „quae a Deo non est determinata, non potest

„se ipsam determinare. Prop. 29. In rerum „natura non datur contingens; sed omnia ex „necessitate divinae naturae determinata sunt „ad certo modo existendum et operandum. „Prop. 30. Intellectus actu finitus aut actu „infinitus Dei attributa Deique affectiones „comprehendere debet et nihil aliud. 31. In- „tellectus actu sive is finitus sit sive infini- „tus, ut voluntas, cupiditas, amor ad naturam „naturatam, non vero ad naturam naturantem „sive substantiam referri debent. Prop. 33. „Voluntas nequit vocari causa libera, sed tan- „tum necessaria. Coroll. I. Deus non opera- „tur ex libertate voluntatis. Coroll. II. Vo- „luntas et intellectus ad Dei naturam ita se „habent ut motus et quies. Prop. 33. Res „nullo alio modo a Deo produci potuerunt „quam sunt productae. Prop. 34. Dei poten- „tia est ipsa ipsius essentia. Prop. 35. Quic- „quid concipimus in Dei potestate esse, id „necessario est."

Nihil invenitur in his de Deo propositionibus nisi repetitio simplex eorum, quae sunt de substantiae principio patefacta. Neque requiritur demonstratio: quum semel Deus substantiâ sit definitus, etiam cetera, quae ad

substantiam pertinent definiendam, de Deo esse affirmanda. Unus igitur Deus necessario est, in se ipso ac per se ipsum, causa sui, efficientia infinita et aeterna est, quae res universas singulasque in se comprehendit implicatas, rebus inest ipsis, neque e se ad illas traducitur; sed omnia necessitate infinitâ connectit eâque ipsâ necessitate implicatam et naturâ suâ conjunctam continet libertatem; — utraque enim forma, et necessitas et libertas, in substantia est ipsa; necessariam se esse eo demonstrat, ut se ipsam efficiat effectamque secum concludat; eaque necessitatis suae demonstratio vim ipsius omnem exponit, ita ut nihil sit ipsa nisi ea actio necessitatis explicandae, nisi conclusio haec infinita formarum contrariarum, causae atque effectus. Non igitur necessaria solum, sed necessitas ipsa substantia est. — Quoniam autem suis ipsius se viribus simplicibus producit habetque productam, suaque ipsius est causa atque effectus; vim alienam non patitur, sed libera est simpliciter in se, e se ipsa pendet.

A necessariâ et libera hac Dei actione Spinoza intellectum humanum et voluntatem discernit.

Hac autem definitione Deus dicitur tolli, in eâ atheismus inesse. Si vero totam verbi potentiam serio volunt exprimere accusatores; sunt prae omnibus interrogandi: quid tandem sit istud, quod ipsi Deo cupiant intelligi, quandoquidem nihil eorum, quae Spinoza affirmet, in Deo esse existiment. Est sane illa non absoluta Dei expositio; non enim procedit eo, ut efficientia divina spiritu sancto infletur, e mysterio suo in lucem mentis absolutae proferatur; ut Deus tripartitam suam triplicique distinctione conclusam naturam perfecte exponat. Atque assentiendum est omnino veris theologis, hunc in Spinoza defectum si aperiunt. — Substantiam autem ne initium quidem idque jam satis excultum mentis divinae sive absolutae continere, efficientiâ infinitâ veritatis, causâ sui, necessariâ libertate, liberâ necessitatis potentiâ Dei absconditam naturam nullo modo attingi; hoc nisi ab ignorantia cogitationum logicarum nequit contendi. Ut igitur exemplo illustretur, quid eveniat, si quis cogitatione absolutâ non ductus de Spinozismo loquatur, famosissimum Spinozae adversarium adhibeamus. Fiet enim clarum: Id, quod summum Jacobio esse videatur, id, quod sibi

proprium habere existimet; hoc ipsum, si quidem perfectius explicetur, aliud revera esse nihil quam substantiam Spinozisticam, a qua Jacobius se maxime abhorrere opinatur. Etenim summum ipsi est illud, quod nullâ, qua sit, indiget conditione; huic autem naturae id opponit, quod non per se ipsum est; sed conditionem, qua efficiatur, externam requirit. Hic vero merus est Spinozismus; eâ tamen differentiâ intercedente, ut substantia id, quod vim ipsius efficit infinitam, exponat ac confirmet, quum Jacobii principium omnino in se remaneat inclusum. Causa sui efficientia haec est libera, quae non solum rejicit recusatque conditionem alienam; sed suam ipsius se conditionem esse ostendit, conditionem in se ipsa suam habet inclusam atque ad effectum infinito modo perductam. Distinctione igitur hac Spinozisticum principium praestat Jacobiano, quod actum in se nullum facit manifestum. Quae autem conditionum desiderant auxilium, eâdem se habent ratione atque finitae modificationes Spinozae. Principio ergo et fine arctissime alter cum altero conjungitur, et quod Jacobius in suis de Spinoza epistt. ad Mendelssohnium scriptis de-

clarat: Spinozismum esse Atheismum, a Leibnitianâ philosophiâ fatum non minus admitti, quam a Spinozismo, hoc Jacobium aeque tangit ipsum. Et si omnis demonstrationis, — ut dicit, — via ad fatum traducit; ab eâ via non magis Jacobius animum simplici veritatis sensu avertit, quam Spinoza substantiâ simpliciter definiendâ, quominus in labyrinthum finitorum rapiamur, perfecte potest impedire.

Sin autem Jacobius simplicem suam nec medio certo distinctam ac conclusam animadversionem gloriatur; etiam Spinozam ex ea perfectione laborare sciri oportet. Revera enim demonstrationes ipsius, — quamvis ingentem saepe apparatum adhibeant, — simplicem definitionis vim distinctione certa non exponunt, definitionis secum ipsa conclusionem non efficiunt. Quum igitur de fato et fatali doctrina sit questio; et Jacobium et Spinozam fata fari quodammodo possumus dicere.

Sic autem prima pars ethicorum Deo per substantiae formas definiendo finitur.

II. Pars prima.

Cogitatio et extensio.

Prop. I. Cogitatio, — inquit Spinoza, — est attributum Dei, sive Deus est res cogitans, et Prop. II. Extensio attributum Dei est, sive Deus est res extensa.

Qua autem ratione innumerabilia, de quibus antea loquutus est attributis, ad duorum tantum numerum redigantur; quamnam per vim differentia etiam numero infinita in duarum harum formarum diremtionem coarctetur; hoc Spinoza non ostendit. Facile vero nos e substantia id cogimus. — Causa enim sui ex inclusione sua in effectum se suum necessario *extendit*, et actione hac sese *extendendi* omnino explicatur; quoniam autem per effectum demum ipsum eam se facit, quae secundum definitionem suam debet esse; — quoniam effectam se comprehendit, per effectum se consequitur, inque se ipsam *cogit; cogitationis* est aeque principium atque *extensionis.* Neque aliud excogitari attributum ullum potest; nam coacta in se ipsam extensio, sive extensa in se cogitatio substantiam totam atque universam complexatur neque quidquam

relinquit, quodquidem ad naturam pertineat illius. Tollitur ergo dubitatio Herderi nihil comprehendentis, quomodo monas substantiae in certam hanc dyadem attributorum illorum dirimatur.

Non autem substantia ipsa, sed nostra tantum cogitatio eam dubitationem expellit. Substantia nimirum neque extensionem neque cogitationem, quibus ipsa efficitur, distincte distinctas rursus producit; in eas, tamquam necessarias quas habeat formas, se non ipsa immittit. Non ergo sibi proponit eas formas, sed inclusas tenet atque implicatas. Quoniam autem modo inclusa est cogitatio, etiam modo exclusa sit necesse est et adventitia tantum. Adventitia haec cogitatio, quae inclusam et alienam cogitationis atque extensionis a se ipsis et a substantia differentiam exponit, philosophantis est actio. Nec postulari debet, ut substantia eam demonstrationem ipsa exhibeat; distincte enim cogitatio non distinguitur exponiturque nisi suâ ipsius opera absolutaque actione; ad hanc vero absolutionem progressa substantiam subsistere non sinit, sed sublatam ipsa complexatur. Ubi igitur substantia subsistit, — ut in Spinozismo, — ibi cogitationis distinguen-

dae et cum contrario concludendae perfectio nequit esse. Cogitatio substantiae simpliciter tantum cum extensione connectitur; non ita eam comprehendit, ut distinctam perfecte a se discernat et contrariam ejiciat. Una est potius substantia, quae se ipsam aeque *extendit ac retendit*, eoque *coactu cogitationem* suam producit; ita ut *cogitatio* sit nihil nisi *extensio* se ipsam *retendens* substantiae, ut *extensio* causae infinitae, — quia finis ipsius idem est cum initio paremque extensionem principio se extendenti opponit, — simplici modo in *cogitationem*, in *coarctationem* differentium convertatur, quorum alterum in alterum se extendat, et, quoniam eadem utriusque est definitio, cum contrario se ipsum concludat, e contrario in se regrediatur. Omnis igitur differentia in principio est ortuque differentium, efficiendis continetur, effectis non exponitur; extensio egressum hunc ex inclusione substantiae et ad effectum progressionem proponit, quum cogitatio contra reditum hunc ex effectu ad causam simplicem primamque, circumscriptionem extensionis reductionemque efficiat. Quia vero causa sui vere non est causa sui, nisi ad exitum exten-

sionis suae perducta se ipsam vere perfecerit, nisi causam sibi opposuerit eandem; extensione ipsâ non extenditur in infinitum; sed perfectione potius absolutioneque extensionis retrahitur, redire in se cogitur. Et quum effectus substantiae eo ipso, quo in causam sui adigitur, distinctam causae potentiam ipse acquirat, a primâque causa coactu hoc ipso cogitationis dirimatur; extensio cogitatione non interrumpitur, sed, quum initium hujus a fine sit distensum, ad perfectionem suam ipsa provehitur. Determinatus igitur egressus reditus est ipse, ortus substantiae occasus, exitus interitus, interitio secunda productio. Differentia indifferens, in sola origine, in initio solo est, incipit tantum existere. Dicit idcirco Spinoza schol. prop. 7. p. II. Eth. „Substan-„tia cogitans et substantia extensa una eadem-„que est substantia, quae jam sub hoc, jam „sub illo attributo comprehenditur; sic etiam „modus extensionis et idea illius modi una „eademque est res, sed duobus modis expres-„sa, quod quidam per nebulam vidisse viden-„tur, qui scilicet statuunt: Deum, Dei intel-„lectum resque ab ipso intellectas unum et „idem esse. — Et prop. 7. p. II. Eth. Ordo

„et connexio idearum idem est ac ordo et „connexio rerum. Et Coroll. Hinc sequitur, „quod Dei cogitandi potentia aequalis est ip„sius agendi potentiae; hoc est, quicquid ex in„finita Dei natura sequitur formaliter, id omne „ex Dei idea eodem ordine eâdemque con„nexione sequitur in Deo objective."

Apparet ergo differentia haec attributa ita in substantiam inclusa retineri, ut nihil intersit, utrum cogitatione an extensione substantia describatur; vim in differentibus esse eandem, formâ solâ discrimen incertum produci; distinctionem ejus, quod — „sequitur e Deo formaliter ab eo, quod objective fluit ex idea divina" — nullo modo explicari. Substantiae efficientiâ attributa duo continentur; propriâ ipsis potestate distinctâque actione non se concludunt. Quia substantiam per se quodque totam efficiunt, differentia vicissim ipsorum substantiae principio tota efficitur comprimiturque. Non ergo distincta extensio in distinctam cogitationem se convertit, neque distincta cogitatio extensionem certam e se ipsa producit. In substantia nihil est nisi initium conclusionis illius, incipiens extensio in cogitationem incipien-

tem attollitur, et substantia ipsa initium hoc est utriusque attributi. Itaque harmonia, quam Leibnitius postulat monadibus praescriptam, neque extensione distinctâ neque effectâ atque absolutâ cogitatione efficitur; sed ab una substantia iis est praescripta; sicut cogitatio monadis Leibnitianae non suâ vi extensionem certam sive corpus producit, sed Dei potentiâ cum eo conjungitur.

Quia vero conjunctio a differentibus est aliena; haec a se invicem aliena sunt; — quum in substantiae principio implicata relinquantur, ab eo id habent, ut singulum per se quodque sit in se ipso, neque alterum ad alterum definiendum requiratur. Separat idcirco Spinoza simpliciter cogitationem ab extensione, neutram neutrâ effici, neutra neutram explicari affirmat. Prop. 5. cum demonstr. et prop. 6. cum demonstr. Eth. II. „Esse formale *idearum* Deum, quatenus *tan*-„*tum* ut *res cogitans* consideratur, pro causa „agnoscit, et non quatenus alio attributo ex-„plicatur, hoc est, tam Dei attributorum quam „rerum singularum *ideae* non ipsa *ideata* sive „*res perceptas* pro causa efficiente agnoscunt, „sed ipsum Deum quatenus est res *cogitans*." —

Itaque manifestus est error eorum, qui cogitationem cum extensione a Spinoza confundi, fixam extensionis formam cum distinctâ cogitationis naturâ atque actione commisceri arbitrantur. Etsi distinctam cogitationis ab extensione distinctionem Spinoza non cognoscat, tamen implicatam non tollit; et quum differentia haec attributa substantiâ unâ comprehendat, non vacuam a differentia et inanem substantiam ideo facit. Non ita extensionem substantiae proponit, ut, licet separata a principio hujus dissipatio esse definiatur, — unam tamen atque eandem cum cogitatione efficiat vim. Atque si dicimus: Extensionem substantiae cogitationem esse ipsius; — in simplici hac per verbum esse differentium copulatione vitium inest necessarium, quoniam conjunctioni major tribuitur potestas, quam differentiae totam aeque substantiam comprehendenti. Rectius ergo dicamus: Extensionem neque cogitationem neque extensionem, sed efficientiam simplicem esse extensionis in cogitationem sese convertentis, sive cogitationis se a se ipsa extendentis.

Certior sic repugnantia rursus apparet, quam jam in attributis generatim conceptis

observavimus. Sunt in substantia cogitatio atque extensio, et tamen singula in se quaeque forma retinetur. A se invicem sunt alienae, quum tamen singula per se quaeque unam atque eandem substantiam proponat. Quae repugnantia quum lateat in substantiam inclusa neque efficientiâ ejus exponatur; hac etiam non tollitur. Solutio ergo illius aliena est a substantia, alienatione substantiae continetur; alienatio autem simplex substantiae in modo, in intellectu est, qui substantiam „modo sub hoc, modo sub illo attributo com„prehendit," et quidem ita, ut attributa duo hac modi comprehensione non vere perfecteque concludantur, sed quum modus alienatio esse substantiae definiatur, a se invicem aliena remaneant. Quamvis igitur modus potentia sit ea, qua attributa diversa secum ipsis et cum substantia conjungantur; modus hoc non potest vere efficere, quum ei suo sit principio, — alienatâ inclusione et inclusâ in substantiam alienatione, — praescriptum, ne quid e cogitatione deducat, quod extensione comprehendatur, neque quod cogitationi sit proprium, ex extensione suscipiat cogendum.

Sed alienatione hac modi attributa duo

et

et comprehenduntur et disparantur, et haec una utriusque descriptio est. Itaque singulum in se quodque attributum alienationem recipit immanentem. Ita cogitatio in voluntatem et in intellectum, sive in cogitationem fine suo ad res ipsas perductam extensamque, et in revocatam a rerum differentia inque se intuslectam et coactam cogitationem discedit; extensio autem in quietem et in motum, sive in extensionem dissipatam ac disjectam et extensionem sublatam coactamque dirumpitur. Coroll. prop. 32. Eth. I. et lemma I. Eth. II.

Inter modos igitur hos quatuor, eadem, quae inter attributa duo, alienatio est interposita; motio et quies non solum ab intellectu et a voluntate, verum etiam a se in vicem sunt alienae, quamquam sive quia uno extensionis attributo quasi substantiâ suâ continentur; neque intellectus, etsi uno cogitationis principio cum voluntate connectatur, hanc distinctionis absolutae vi et actione comprehendit, „intra limites suos intellectus, — ut dicit Spinoza pag. 501, — voluntatem continere non potest. Alienatio haec et inclusio a substantia per attributa ad modos traductae

ita in singulum per se quemque modum ingrediuntur: ut

1. „intellectus se non ipsum cognoscat, nisi „quatenus corporis affectionum ideas per„cipiat prop. 23. Eth. II."

2. voluntas autem non possit vocari causa libera, quia alienis causis determinetur prop. 32. Eth. I.

3. motus deinde initium suum non ipse producat, neque finem sibi ipse imponat,

4. quies demique non sua se vi contineat, sed alienis viribus efficiatur. Lemma III. Eth. II. „Corpus motum vel quiescens „ad motum vel quietem determinari de„buit ab alio corpore, quod etiam ad mo„tum vel quietem determinatum fuit ab „alio et illud iterum ab alio et sic in in„finitum."

Quidquid igitur faciat substantia, neque attributis nec modis ad eum finem perducitur: ut alienatam inclusionem, ut inclusam alienationem in absolutam absolutae distinctionis conclusionem convertat. Determinatio ipsa substantiae, i. e. modus, ita ad se refertur, ut substantia ad accidentia, inclusâ scilicet alienatione. Intellectus sive cogitatio finita

ita cum extensione certa ac circumscripta, cum corpore suo et corporibus conjungitur, ut cum accidentibus substantia. Quamvis in se esse affirmetur, tamen intelligere sese, esse in se ipso non potest, nisi externis affectionibus tollendis recipiendisque; sicut substantia nequit nisi accidentibus comprimendis esse in se ipsa. Quum autem differentia omnis ad substantiam regrediatur, substantia in differentiam abeat non distincte distinctam; — quae eo differunt modo, alienatione propriâ secum in vicem conjunguntur. Quemadmodum est ergo ostensum, cogitatio ita cum extensione, quam a se habet alienam, sese connectit, ut in intellectum et voluntatem se dirimendo propriam voluntate extensionem proponat; neque cum attributo solum extensionis, verum etiam cum modis illius suo motu suâque quiete conferatur. Qua igitur differentia et complexu cuncta et discernuntur et congregantur, inclusa alienatio esse cognoscitur, eamque Spinoza intellectum appellat. Utrum ideo intellectus et voluntas sint in substantia seu Deo, necne; ea quaestio, quae Herderum, Jacobium, Mendelssohnium tantopere occupavit, ita est absolvenda: ut

differentiam hanc aeque implicatam substantiâ atque ab ea alienam esse dicamus. Sic debet explicari, de Dei intellectu et voluntate apud Spinozam esse sermonem (schol. prop. 17.) quamvis certâ propositione has formas in Deo esse sit negatum.

Spinozistico sic modo cogitationis cum extensione copulandae explanato, correctio ab Herdero commendata perstringi adhuc potest. Vult enim simplicem nec medio certo intercedente distinctam ac conclusam cogitationis ab extensione differentiam, „viribus, — ut dicit, — organicis,“ tollere et conciliare differentia secum ipsis. Est autem sciendum: *vim* puram et ab effectu separatam imperfectioris esse naturae, quam substantiae principium, quod *vi* infinito modo ad effectum productâ atque cum eo conclusâ, sive efficientiâ veritatis se ipsam efficientis definitur. Adjectio deinde ista organicae naturae a vi finitâ aeque est aliena atque a substantia. Vinculo igitur ita in se dirupto atque imperfecto aliena quae a se sunt differentia, vere non connectuntur. Neque majoris est momenti illud, quod de extensione separatim dicit Herderus: „hoc a „Spinoza verbum non esse admissum, nisi

„quoniam tempore ipsius fuerit in usu; falso „id posse intelligi, non perfectiorem in exten-„sione quam in tempore naturam inveniri, eam-„que ob causam eo deprimi oportere, ut ad „exemplum temporis imago sola aeternitatis „esse contendatur.“ — Recipitur autem in substantiam extensio, quum tamen tempus removeatur, quia in extensione non ea est explicatio exclusionis determinationisque, quae vim efficit temporis ejusque a substantia in se inclusa discrimen. Quae extensione distenduntur, aliena a se et inclusa in se vicissim sunt atque in extensione universâ remanent quiescuntque. Temporis autem puncta, quum conclusione simplici efficiantur, propriâ distinctione se excludunt, singulum per se quodque se a se ipso excludit, aliis se exponit punctis, actione suâ se separat, se producit, se connectit. Haec actio punctorum sese excludentium in substantia adhuc latet; nam quamvis accidentia alterum in alterum convertantur, iisque tollendis substantia subsistat; ea tamen conversio ita est simplex atque infinita, ut non propriâ ac distinctâ accidentium efficientiâ, sed aeterno eorum principio efficiatur, ad temporis explicationem non excedat.

Possumus hac in re etiam illud breviter attingere, quod aeque e simplici cogitationis extensionisque conjunctione est deducendum, quamquam causa jam sui implicitum id continet: Causas, quas vocant finales sive remotas in substantiae principium a Spinoza non admitti, immanenti tantum, efficienti solum causâ substantiam definiri, append. part. I. prop. 16 et coroll. prop. 32. Cogitatio nimirum substantiae non ita est in se ipsa et per se ipsam definita, ut finem distincte distinctum in se ipsa comprehendat, distinctâque actione in res externas inducat, et ex externis interpositis existentem efficiat. Simpliciter potius cum extensione, a qua initium sumit et finem, copulatur. Extensione ad finem perducendâ et in initium cogendâ cogitatio demum ipsa efficitur. Ut sit, ad eum finem non ipsa suis tendit viribus; extensionis hic finis cogitationem antecedit. Quae e fine extensionis in initium coacto exsistit cogitatio, finis ille est ipse; acceptum igitur ab extensione in suo initio finem cogitatio retinet, neque ipsa, quem demum in extensionem inducat, sibi finem proponit. Itaque cogitatio substantiae nihil est nisi actio ex-

tensionis retendendae, neque nisi eâ actione substantia cogitat. „Coroll. prop. 7. Eth. II, „Dei cogitandi potentia aequalis est ipsius „actuali agendi potentiae, hoc est, quicquid „ex infinita Dei natura sequitur formaliter, „id omne ex Dei idea sequitur in Deo ob„jective."

Differentia igitur cogitationis extensionisque ad infinitam efficientiam reducitur. Cogitatio substantiae reductam ad initium extensionem sive initium extensionis conclusione sua fineque absolutum proponit; se igitur ipsam cogitatio antecedit, extensione sibi proponit, finienda extensione consequitur, causa sui finalis est. Sed quamvis implicata cogitatio effectam cogitationem veramque praecedit; ea actio finis proponendi ad cogitationem proprie vereque non potest referri, sed extensione continetur. — Idea absoluta neque efficiens est causa eo sensu, ut in effectum medio nullo intercedente quasi illabatur; — neque finalis eo modo, ut finem sibi a rerum natura alienum et separatum proponat; — sed utramque formam comprehendens fine se distincto distinguit, eoque rerum demum naturam producit, ita ut efficientia

sit vere infinita, in res non immersa et ab iis aliena, sed distincta a rebus cum ipsisque conclusa, finem non implicitum et a rebus sejunctum abscondens alienâque ratione ad res formandas adducens, fine potius distincte distincto veritatem rerum ipsarum efficiens earumque oppositione tollendâ se secum ipsâ concludens atque absolvens. Itaque idea absoluta fine demum distincte distincto perfecteque sublato omnino absolvitur, quum substantia fine in initium incluso jam sit perfecta, ceteraque omnia deteriora videantur, ut dicit Spinoza in append. Eth. I.: „Haec „de fine doctrina, quod perfectissimum est, „reddit imperfectissimum; nam ille effectus „perfectissimus est, qui a Deo immediate pro„ducitur, et quo aliquid pluribus causis inter„mediis indiget, ut producatur, eo imperfec„tius est. At si res, quae a Deo immediate „productae sunt, eâ de causâ factae essent, „ut Deus finem assequeretur suum, tum ne„cessario ultimae, quarum de causâ priores „factae sunt, omnium praestantissimae essent.“—

Non ergo perfici substantia potest eâ modorum attributorumque collectione, quae est in intellectu humano, prop. X. Eth. II. „Ad

„essentiam hominis non pertinet esse substan-
„tiae sive substantia formam hominis non
„constituit, adde schol. et coroll. huj. prop.,
„et coroll. prop. XI. Mens humana pars est
„infiniti intellectus Dei."

Sed intellectus antecedentia omnia, in quibus initia sunt rerum, comprehendit; itaque cetera ad ipsum quasi ad principium referuntur. Natura externa non suo principio distincto, non suâ ratione explicatur, sed eo a Spinoza modo proponitur, quo ad naturam humanam refertur; corpus humanum occasionem modo dat, etiam alia corpora attingendi. Quae ratio naturam externam ad mentem humanam referendi veritatem assequeretur, si mens Spinozistica absoluta esset mens, quae res distinctâ distinctione e se ipsa producit atque comprehendit. Spinozistica autem ratio alieno modo etiam cum corpore suo est conjuncta, ideam proponit simpliciter cum re singula conjunctam; prop. II.: „Primum quod esse actuale mentis humanae constituit, nihil est aliud, quam idea rei alicujus singularis actu existentis." — E simplici autem corporis cum mente cohaerentia prop. 12. efficitur: „Quicquid in objecto „ideae humanam mentem constituentis con-

„tingit, id ab humana mente debet percipi," et prop. 13.: „objectum mentis corpus esse" affirmatur. — Sed quum corpus alienatio sit mentis, et ea alienatio ad se ipsam referatur, et a se alienetur; per suum corpus etiam alia corpora mens attingit concipitque prop. 16. Percipiendi haec actio eum habet finem, ut corporis affectiones in mentis naturam vel attributum, in ideas convertantur; prop. 22. Et quia alienatio, quae est in corpore, ad mentem pertinet ipsam; mens a sese aliena non se ipsam intelligit, nisi corporis extensionem in cogitationem suam cogat comprimatque; qua sine actione non magis potest esse, quam cogitatio simplex sine extensione simplici in initium retendendâ.

Haec autem actio cogitandi, quae a corpore initium ducit, non est, ut dicit Spinoza, — „adaequata;" nimirum quia corpus principio suo est a mente alienatum, nec simplex ejus cum mente conflictus veram efficit conclusionem.

Quoniam vero alienatio omnis in substantiam est ipsam inclusa, in singulis corporibus veritas substantiae latet aeterna; prop. 45: „Unaquaeque cujuscunque corporis vel

„rei singularis actu existentis idea Dei aeternam et infinitam essentiam involvit.“ —

Rebus igitur intelligendis ad cognitionem substantiae ratio se attollit. Et quum ratio naturâ suâ cum substantia conjungatur, substantia natura sit mentis et principium; cum eo est adaequata; prop. 44: „De natura est „rationis, res non ut contingentes, sed ut ne-„cessarias sive sub quadam aeternitatis specie „percipere,“ adde prop. 46 et 47.

Adaequata autem haec cognitio, quae Spinozismo ipso proposita invenitur, non est absolute vera, quia principium, unde pendet, ipsum non est absolutum. Quod poscitur ut res singulae specie substantiae exprimantur; ad id vere perficiendum mens Spinozistica non omnino est apta; neque enim ipsa cum principio absolute concluditur, neque res cum eo externas concludit. Nec satis est, sub quadam aeternitatis specie res percepisse; singulum cum specie et generali ideae naturâ absolute est concludendum.

III. Pars.

Corporis sic extensione in principium mentis redactâ, mens extensionem in se habet immanentem atque internam. Suâ autem

quum extensione extendatur, voluntas est. Simplici ergo ratione cum intellectu voluntas cohaeret prop. 49. Corollor. Sicuti vero cogitatio infinita, quamvis extensionem excipiat, eam tamen alienat; — sic licet mens corpus comprehendat, hoc ab ea restat alienum prop. 2. Eth. III. „Nec corpus mentem ad cogi„tandum, nec mens corpus ad motum aut ad „quietem aut ad aliquid determinare potest.“ —

Quum igitur ad corpus, ad alienam hanc suam extensionem internâ tamen extensione mens referatur; non suâ ipsius distinctione mens se ipsa definit, non absolutâ se actione in veritatem rerum producit, sed externam naturam invenit sibi objectam, alienâ hujus formâ definitur afficiturque; — sive inclusio haec ipsa in mentem extensionis, quia actione mentis nullâ distinguitur neque comprehenditur, vim ei infert. prop. I. Eth. III. „Mens, „quatenus adaequatas habet ideas, eatenus „agit; quatenus vero ideas habet inadaequa„tas, eatenus patitur.“ — Patitur mens, quia alienatione proprie definitur, quia vis est a se aliena; actio autem pertinet ad mentem, quia principium ejus actio est simpliciter infinita. Quoniam vero actio haec in princi-

pio retinetur; propria mentis et peculiaris descriptio ab externis eam afficientibus, i. e. ab affectibus repetitur. Externa haec aliter non definiuntur, quam ut sint aliena a mentis principio; distincte igitur huic non opponuntur. Possunt ideo aeque consentire cum mente sive voluntate atque ei esse adversa; prop. 15. „Res quaeque potest per accidens „esse causa laetitiae aut tristitiae, amoris aut „odii, spei aut metus,“ pr. 50. — „Laetis „potentia mentis augetur, tristibus minuitur. „Laetitia ad majorem ducit perfectionem, „tristitia ad minorem,“ prop. 11, Eth. III. et schol.

Quum autem rerum externarum differentia unâ alienationis forma cum mente conjungatur, quum res aeque atque mens ad id, quod in alio est, referantur; mens in se ipsa non est, quin rebus pariter insit; non sibi constat nisi se a se alienet; quo se continet actu, eo se in res immittit. Neque res huic actioni resistunt; sunt enim tales, ut nisi sublatae non subsistant. — „Conatus quum „ad mentem solam refertur, voluntas appella„tur, quum ad mentem et simul corpus, ap„petitus sive cupiditas,“ schol. prop. 9.

IV. Pars.

E simplici autem mentis cum rebus extensis, et modi cum substantia copulatione necessario sequitur: ut id ipsum quod *laetitia* afficit mentem, quod ad vim ejus conservandam est *utile*, *bonum* nominetur; quod *tristitiam* producit et *nocet*, *malum* esse dicatur, *potentia* mentis *virtus* sit ipsa; def. I., II. et VIII. Eth. IV., et prop. 8: „Cogitatio „boni et mali nihil aliud est, quam laetitiae „vel tristitiae affectus, quatenus ejus sumus „conscii,“ et prop. 22 cor. „Conatus sese „conservandi primum et unicum virtutis fun-„damentum est.“ Et prop 19.: „Quod quis-„que ex legibus naturae suae appetit et aver-„satur, id bonum vel malum hujus naturae „est.— Nihil nos conamur, volumus, appe-„timus, quia id bonum judicamus; sed quia „aliquid conamur, quia id volumus, ideo id „bonum judicamus,“ coroll. prop. 9. Eth. III.

Non autem vere se mens conservat, nisi ex ea, quae in affectibus et cupiditatibus est alienatio et ad res extensio, se in se ipsam retendendo cogat intusque in se legat, cogitationem hanc perfectiorem efficiat, quae pro-

priâ extensione comprehendendâ se cogitet ipsam. Haec mentis et conservatio et perfectio virtus est ipsa prop. 24.: „Ex virtute ab„solute agere nihil aliud est, quam ex ductu „rationis agere, suum esse conservare," et prop. 26 et 27.: „Mens quatenus ratione uti„tur, aliud sibi utile nihil esse judicat, nisi „id, quod ad intelligendum conducit" et prop. 28. „Summum mentis bonum est Dei „cognitio et summa mentis virtus Deum cog„noscere." —

Haec sublimis quidem, non autem absolute vera morum est doctrina. Nimirum quia natura mentis distincte non est distincta, quia differentia mentis distinctioque in universam ejus substantiam adhuc inclusa retinetur, eâdem definitione et generalis et specialis atque singula mentis potentia comprehenditur; mens generalis finem non habet proprium et a fine singulae mentis disparatum; sed idem utriusque est principium, eadem actio, finis communis. Non ergo oppositio explicatur finis generalis finisque singuli, sive boni atque utilis; neque malum discernitur ab eo, quod nocet; contrarium enim boni aeque ad singulam atque ad generalem mentis naturam re-

fertur. Quoniam igitur mens finem in se continet implicatum, principio suo *est ea*, quae *debet* esse, *natura* mentis *virtutem* efficit ipsam; et quum ea natura efficientia sit infinita, virtutis potestati res externae subjiciuntur. Substantia ipsa quia finis est infinitus, bonum est ipsum; et quum nihil in rebus sit verum nisi substantiae principium, natura earum est aeque bona; quocum igitur mens e substantia pendens consentit, quo laetatur, quod ad eam amplificandam est *utile*, id *bonum* est ipsum.

Quamvis haec de virtutis infinitâ potestate, de unâ boni atque utilis naturâ sublimis sit sententia appellanda fragilemque istam virtutem antecedat, quae factis se non comprocat, bonum ipsum utile non esse queritur, potentiam virtuti adversam suspicatur; — quamvis igitur Spinozistica doctrina majestatem mentis nullis limitibus circumscriptae principiumque a bono non separatum proponat; — differentiam, quae necessario exponenda est harum formarum, non explicat ipsa, non tollit absolute, non repugnantiam earum extremam, non absolutam contrariorum reconciliationem producit. Quae ergo sunt maxime dirimen-

menda bonum et malum, non oppositione certâ distinguuntur; bonum simpliciter est in substantiam inclusum, malum ab ea alienatum. Quoniam vero id, quod modo est inclusum, etiam modo est alienatum; bonum involutum neque absolute secum ipso distinctione distinctâ conclusum, a malo alienato non absolute discernitur; malum cum bono alienatione suâ aeque congungitur atque ab eo distat, sicut inclusione in se suâ a bono aeque in se incluso non magis separatur ac commiscetur. Itaque *modi* definitione et bonum et malum comprehenditur. Dicit Spinoza pag. 164. opp. posth. „Bonum et malum nihil „*positivum* in rebus, in se scilicet consi„deratis, indicant, nec aliud sunt praeter co„gitandi modos seu notiones, quas formamus „ex eo, quod res ad invicem comparamus; „nam una eademque res potest eodem tem„pore bona et mala et etiam indifferens esse. „Et pag. 478. Non possum concedere malum „quid *positivum* esse; quicquid est, in se con„sideratum, sine respectu ad aliud quid, *per„fectionem* includit, quae se eo usque ex„tendit, quo se extendit ipsa rei *essentia;* „nullam in rebus possumus concipere imper-

„fectionem, nisi ad *alias* res attendamus, quae „plus habent *realitatis;* peccata non consis„tunt in aliquo, quod *realitatem* exprimat; „malum nihil aliud quam privationis status, „*privatio* autem nihil *positivum*, respectu no„stri, non vero Divini intellectus ita nomina„tur. Et pag. 512. Deus est absolute causa „omnium, quae essentiam habent; malum au„tem, error, scelus essentiam non exprimunt, „ergo Deus eorum non est causa. Neronis „matricidium, quatenus aliquid *positivum* com„prehendebat, scelus non erat; scelus in eo „erat solum, quod *in*gratum, *im*misericordem „ac *in*obedientem animum ostenderet. Ho„rum autem nihil exprimit essentiam.“ Ex his omnibus intelligitur: perfectam boni a malo distinctionem in Spinoza non inveniri. Differentia apud eum boni a malo non naturâ continetur rerum tolliturque, non naturam afficit ipsarum, sed aliena est a rebus, alienatione simplici definitur, comparatione solâ efficitur, in intellectu est tantum nostro, non in intellectu infinito. Bonum se ipsum a malo non distinguit, non se ipsum ponit atque absolvit. Nihil ergo positivum in bono Spinoza dicit esse; idem-

que de malo affirmat; et tamen *positione, realitate*, „*essentia*," (quae verba ei unum idemque significant) bonum definit, malum autem *negantiâ* et *privatione*. Rei ipsi „*essentiam*" inesse contendit, eamque cum *perfectione* rei omnino esse eandem; quamvis *bonum*, quod idem est cum *perfecto*, ad „*essentiam*" rei neget pertinere. Atque quum „essentia" sit perfectio; „perfectionem" tamen ab essentia sejungit Spinoza, ita ut perfectio non essentiam rerum, sed alienum ab iis modum proponat; conf. pag. 360 opp. posth. „bonum et malum non nisi *respective* „dicuntur, adeo ut una eademque res possit „dici bona et mala secundum diversos *re*„*spectus* eodem modo ac imperfectum et per„fectum. Nihil enim in suâ natura specta„tum perfectum dicetur vel imperfectum." — Malum autem ex nostro quidem modo rerum cognoscendarum ad naturam rerum referri, privationemque *ejus* esse concedit, quod ad essentiam pertinet rei; sed hunc intellectum imaginationem nominat inanem, qua veritas rerum non attingatur; privationem in nostro tantum esse intellectu, non in infinito, — quod idem de differentia boni et mali est

dictum, — sic coecum nobis quidem *privatum* oculorum sensu videri; Dei decretum sin consideretur, solam carentiam, solam negantiam ejus, quod naturâ hominis non comprehendatur, animadverti. „Itaque *privatio* revera non actus privandi, sed *simplex et mera carentia*, quae in se nihil sit, esse affirmatur," pag. 500. Non ita jam singulum a naturâ suâ est distinctum, ut eâ privatum dici posse videatur; sed cum eâ simpliciter conjunctum absolute cum natura sua ut conveniat, ut perfectionem complectatur, Spinozae necesse esse videtur. Distincto igitur sensu malum a Spinoza non intelligitur; differentia non est alia nisi melioris pejorisve, perfectionis magis aut minus amplificatae, „essentiae" minus aut magis *extensae*. Bonae sunt res et quidem eatenus, quatenus, — ut dicit Spinoza, — essentia earum se *extendit*. *Extensione* igitur bonum determinatur, ad distinctam distinctionem non procedit. Itaque malum non nisi extendendo bono removetur; distincta boni actione non disparatur, intactum remanet integrumque; et quam patitur a bono simplicem alienationem, eandem ei reddit; nam quamquam substantiâ infinitâ

fines rerum determinari affirmantur; ea tamen actio in substantiam restat inclusa et aliena; termino igitur tantum interno et tantum alieno substantia se in res extendens retinetur, eaque substantiae se extendentis determinatio id efficit, quod Spinoza malum appellat.

Positio, qua *bonum* a malo separat, tam est simplex, ut a simplici *negantia* qua *malum* exprimitur, non vere discernatur; quo enim substantia sive perfectum bonumque ponitur principio, eodem inclusio ejus non subsistens sive accidentia vel imperfectum malumque negatur; quo se motu substantia ponit efficitque, eodem se negat esse in se inclusam. Si igitur bonum positione, malum negantiâ continetur; bonum cum malo, perfectum cum imperfecto simpliciter conjunctum esse apparet. Nam inclusio in differentiam non educta neque existens, qua malum efficitur, simplici exclusione se alienat et conjungit, in conclusionem simplicem se convertit, quae boni est principium.

V. Pars.

Manifestum est factum: malum alienatum esse a mente in se bona, et tamen ad eam referri. Affectiones inde enascentes servitutem efficiunt rationis. Tollendis intelligendisque affectionibus mens in libertatem ab iis se attollit, seque in se cogit. prop. 3. „affec„tus, qui passio est, desinit esse passio, si„mul atque ejus claram et distinctam forma„mus ideam.“ Intelligi possunt, quia simpliciter sunt cum mente conjunctae. Intelligere eas nihil est nisi ad substantiam eas referre; prop. 25. „Summus mentis conatus summa„que virtus est res intelligere ideis adaequa„tis attributorum substantiae.“

Haec autem, quae est in mente cognitio substantiae rebus expressae sive rerum in substantiam reductarum, in substantiam est aeque inclusa atque ab eâ aliena relinquitur.

Substantia se inclusâ alienatione, sive alienatâ aeque atque inclusâ mente comprehendit, adeo ut comprehensio, quae vocatur adaequata, non magis ad mentem humanam, quam ad substantiam sit referenda. prop. 36. „Men„tis erga Deum amor intellectualis est ipse

„Dei amor, quo Deus se ipsum amat; non „quatenus infinitus est, sed quatenus per es„sentiam humanae naturae mentisque, sub „specie aeternitatis consideratam explicari „potest; hoc est, mentis erga Deum amor in„tellectualis *pars* est infiniti amoris, quo Deus „se ipsum amat; et coroll. Amor Dei erga „homines et mentis erga Deum amor intel„lectualis unum et idem est."

Partitio autem amoris sive comprehensionis infinitae absolute vera non est definitio distinctioque; pars a toto est aeque aliena atque in id inclusa; parte igitur suâ infinita cogitatio neque distincte a se ipsa distinguitur, neque absolute secum concluditur. Repetendum est ergo: Spinozam non ad eam perfectionem pervenire, quae est in doctrina christiana. Haec Deum patrem ita definit, ut is Deum filium producendo patrem se esse demonstret, filium autem a cruce et morte in vitam aeternam reductum ad dextram recipiat, spirituque sancto inflatum complectatur, menteque absolutâ se et filium secum concludat. Qua de causa quum Deus pater comprehendi nisi spiritu sancto non queat; ne patrem quidem Deum Spinoza vere comprehendit. Sub-

stantia fixum restat principium; accidentium infinitate differentiam in se includit alienam, in differentiam non distinctione absolutâ, sed alienatione simplici ingreditur; alienatio inclusa accidentium, fine, qui est in comprehensione infinita, vere non tollitur, in distinctionem perfectam non se convertit. Mens principio suo in substantia retinetur, distinctio ejus a substantia non est completa, sed vana negatio, quae a substantia alienatur et principio ejus implicata relinquitur; qua enim vi substantia esse accidentia negat, qua se accidentibus tollendis negandisque affirmat et ponit atque comprehendit — ea vis comprehensionis alia non est, quam mens se ipsam antecedens. Itaque propria mentis et distincta potentia a substantia non minus est aliena, quam accidentium proprietas. Substantia non se distincte distinctam, sed inane ipsum amplectitur; quod absoluto amore comprehendat, frustra quaerit. — Neque homo perfectam omnino sic libertatem assequitur; non enim hôc solo ab affectionum servitute liberatur, ut hae ad substantiam referendae esse dicantur; nam sic vere hae non tolluntur, sed simpliciter substantiâ non distinctâ implicantur, et ab ejus efficien-

tia manent alienae. Absolute mens a principio non manumittitur, nisi hoc certâ se differentiâ distinguat, nisi differentiam eam producat, quae se sibi ipsa opponat et concludat. Ea sola comprehensio sive cogitatio absolutionem libertatis proponit; quia id, quo definitur, id, quocum se concludit, non principio solum cogitationis implicato atque antecedente, sed propriâ ipsius actione est effectum et sublatum. Absolutio haec mentis per se ipsam liberatae sola cum libero absolute in se ipso principio vere se conjungit. Spinozistica mens, quia substantia est ipsa a se alienata, veram a principio, unde pendet, libertatem non acquirit. Conatur ab affectionibus se in se ipsam revocare; sic autem in alienatione, qua definitur, se ponit et restat, ad se non ut ad se ipsam, sed ut ad alienam naturam refertur. Alienationem igitur simplicem non potest tollere. Sin vere id posset; proprium ipsi nihil remaneret, ipsa periret, summa perfectio interitio esset; nam quum a se distincte non sit distincta, alienatione omittendâ et ad substantiam non distinctam revocandâ, in simplicem substantiam collaberetur. Sed haec fictio est inanis.

Mens quominus exstirpetur, alienatione suâ principio ipso firmatâ et fixâ impeditur. Amor igitur erga Deum Spinozisticus beatitudinem perfectam non producit; sed si modum suae cum Deo cohaerentiae perspicere neque tamen in absolutam conclusionem posset convertere; beatitudinem non absolute veram desperatio sequeretur mentis substantiam comprehendere frustra conantis, e substantia infinitâ alienatione suâ ejectae, simulque in carcerem ejus inclusae.

Inclusione hac mentis doctrina Spinozistica concluditur finiturque.

Curriculum vitae.

Natus sum d. X. ante Calend. Mart. an. 1802, patre centurione. Frequentavi usque ad annum undevicesimum Gymnasium Berolino-Coloniense. Perfectae maturitatis testimonio honoratus ad academiam hanc Berolinensem me contuli, ut jurisprudentiae studerem. Quum ea scientia menti non satisfaceret; philosophiam omnino amplexus sum. Adjunxi ad philosophicam eruditionem historicas scientias et physicas. Antiquitati operam navavi; et linguarum intelligentiam adauxi. A periculoso et turbante oculorum morbo aliquomodo liberatus opus adii conficiendum, quo doctoris mihi honorem compararem.

Theses.

1. *Unum ipsum esse in se triplex.*
2. *Genus non esse ideam absolutam.*
3. Ἐνέργειαν *Aristotelis* ἰδέαν *esse Platonicam ita definitam ut se ipsa refellat.*
4. *Motum et esse et non esse.*
5. *Unamquamque* θέσιν *esse falsam.*
6. *Homine producendo naturam sui ipsius fieri consciam.*
7. *Caesaris occisionem stultissimum Romanorum esse factum.*
8. *Fatum in Antigona Sophoclea non dominari.*

Corrigenda.

Pag. 12. lin. 2 pro derivatum lege derivatam
— — — 4 — cognitatione — cogitatione
— 24 — 12 post tertia adde: affectuum naturam, in quarta
— — — 26 ante Oppressio ——
— 30 — 1 pro infinitam lege: infinitum
— 45 — 6 — non — modo
— 49 — 15 — definitone — definitione
— 53 — 24 — infinitonis — infinitionis
— 58 — 19 — infinta — infinita
— 64 — 3 — continctur — continetur
— 73 — 1 dele prima
— 74 — 24 pro complexatur lege amplexatur
— 79 — 20 post extensionem adde substantiae
— 81 — 8 pro intuslectam lege intus lectam
— 83 — 22 — eamque — eumque
— 96 — 16 — comprocat — comprobat

